HORTUS BOTANICUS
VINDOBONENSIS,

SEU

PLANTARUM RARIORUM,

QUÆ

IN HORTO BOTANICO VINDOBONENSI,

AUGUSTISSIMÆ

MARIÆ THERESIÆ

MUNIFICENTIA REGIA

IN

UNIVERSITATIS PATRIÆ

EXCELLENS ORNAMENTUM PUBLICAMQUE UTILITATEM EXSTRUCTO,

COLUNTUR,

ICONES COLORATÆ ET SUCCINCTÆ DESCRIPTIONES.

CURA ET SUMPTIBUS

NICOLAI JOSEPHI JACQUIN

BOTANICES PROFESSORIS.

VINDOBONÆ,

TYPIS LEOPOLDI JOANNIS KALIWODA,

AULÆ IMPERIALIS TYPOGRAPHI.

MDCCLXX.

Exemplar 71.

AUGUSTISSIMÆ,

INVICTISSIMÆ AC GLORIOSISSIMÆ

ROMANORUM

IMPERATRICI,

MARIÆ THERESIÆ,

HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, DALMATIÆ,

CROATIÆ, SLAVONIÆQUE

REGINÆ,

ARCHIDUCI AUSTRIÆ,

&c. &c. &c.

DOMINÆ SUÆ

CLEMENTISSIMÆ.

AUGUSTISSIMA
IMPERATRIX,
REGINA,
DOMINA, DOMINA
CLEMENTISSIMA!

Quum tot tantaque ſuperant monumenta illuſtria faſtigii illius, ad quod, TE regnante & curante populorum TUORUM gloriam atque felicitatem, cum in aliis regnis TUIS, tum quam maxime in celeberrima hac urbe, evectæ ſunt Scientiæ & Artes liberales, ut hæ una TEcum ſolium adſcendiſſe videri poſſint; tum certe inter illa numerari omnino merebitur Hortus elegantiſſimus, quo nunc ſuperbit alma Vindobonenſis Academia, quique non minus ad ultimos transmittet nepotes immenſam TUAM liberalitatem, favoremque illum ſingularem, quo dignaris complecti omne diſciplinarum genus.

Ex hoc Horto collectas rariores plantas ſubmiſſiſſime depono ad pedes MAJESTATIS TUÆ. Exſtructus ille ſuſtentatusque

Regia TUA Munificentia, nihil alere poteſt, quod non ſit totum TUUM. Propriis igitur benefactis annue, DOMINA AUGUSTISSIMA; dumque pateris, prodire ſub auſpiciis TUIS, quod ſine illis non ſurrexiſſet, opus, addet iſta mihi Clementia animum, ut cœptis inſtem alacer, & novæ gratiæ memor, dum vivam, ero.

SACRÆ CÆSAREÆ REGIÆQUE

MAJESTATIS TUÆ

CLIENTUM INFIMUS

NICOLAUS JOSEPHUS JACQUIN.

PRÆFATIO.

A quo tempore AUGUSTORUM MUNIFICENTIA *surrexit, floruitque Hortus Botanicus Vindobonensis, variis hic superbivit iisque rarissimis plantis, quibus illum, in nobile suum incrementum, studiique Botanici hujatis promotionem, virorum non paucorum, de re herbaria bene merentium, ditaverat benevolentia. Illarum nunc, uti fieri sæpe solet, periit haud exiguus numerus; & aliquarum etiam cum ipsis interiit ipsa memoria: quas inter tamen omnino fuissent, quarum legitima cognitio cessisset in rei herbariæ augmentum. Superstites novasque hospites ne simile maneat fatum, harum delineationes descriptionesque offerre Botanicis in hoc opere suscepi. Scopus fuit, illas proponere tales, ut ægre superesse dubium in earundem ab affinibus distinctione possit. Ad hoc, quæ mea est opinio, nuda descriptio, detur etiam esse optima, rarius sufficit, & quantumvis forte sufficiat nunc, non propterea semper nata inde plantæ cognitio firmo stabit pede. Poterit enim nova detecta aliquando cognata planta reddere non sufficientem. Figura exactissima, præterquam quod uno intuitu plus doceat, mentem afficiat vividius, plantæque formam in memoriam facilius pleniusque reducat, legitimæ addita descriptioni fallet nunquam. Exhi-*

bui igitur ſtirpes magnitudine naturali, & tantam quidem earum partem ſemper, ut ad totum inde habitum concludi commode queat. Cumque ipſis etiam radicibus; ubi hoc apte fieri per chartam licebat, quam propterea forma majore ſeligere debui. Fructificationis adſtant interdum ſingulæ partes, microſcopio etiam auctæ; dum hæc ita poſtulabat ejusdem ſtructura huc usque minus cognita, & aut minuta nimis, aut in ipſa delineata ſtirpe haud recte perſpicienda. Cæterum omiſſæ fuerunt. Icones nec pinxi ipſe, nec delineavi; at, præſente me, dum ab artifice perficiebantur, omnem adhibui curam, ut naturæ archetypis examuſſim omnes reſponderent. Quin hoc idem etiam circa colores actum cum ſcrupulo fuit. Quotannis, non interrupta ſerie, aliquot tabulas addam, (quæ jam plurimæ ſunt ſculptæ,) numero, quem ſumptus tulerint faciendi non mediocres. Pauci ement earum neceſſario futurum opus. Hinc in univerſum centum & ſexaginta duo Exemplaria imprimi curavi, coloranda omnia; nec plura, tabulis æneis iam deletis, in poſterum imprimentur. In Operis Titulo numerus Exemplaris indicabitur.

TA-

HORTUS BOTANICUS VINDOBONENSIS.

TABULA PRIMA.

ROSA BICOLOR.

Synonymon hujus fruticis non reperio. Speciosissimis Rosis adnumerari omnino meretur. Color paginæ petalorum adversæ sulphureus, pronæ eleganter miniatus, florumque, totam fruticem ferme obducentium, multitudo, mirum ubi decorem concilliant. Odor vero his ipsis ingratus est, subfœtidusque. Per dicta ab aliis huc usque cognitis Rosis facile distinguitur, speciemque nimi constituere novam videtur. Patriam ignoro. Ex Hollandia huc translata sunt. Sub dio agit optime, & quotannis floret; sed fructum bene maturum necdum dedit. Rami glabri armantur aculeis rectis, sine ordine positis. Calyces hirsuti sunt. Pedunculi autem, globosa germina foliaque sunt glaberrima. Petala ampla, obcordata, interdum tamen vix emarginata, omnia planiuscula sunt; & variant rarius facie interna longitudinaliter etiam bicolore. Stigmata purpurascunt. Junio & Julio floret, verum horti ornamentum.

TABULA SECUNDA.

IRIS SAMBUCINA. *Linn. syst. pag.* 77.
Iris major latifolia octava. *Clus. hist.* 219
Iris latifolia germanica, odore sambuci. *Bauh. pin.* 31

Radix similis est Iridi Germanicæ Linnæi, a qua nec reliquo habitu valde abludit. Ac caulis ferme duplo est folius altior. Flos spirat odorem florum sambuci. Petala sunt emarginata, reflexorum incisura tamen sæpe vix notabili. Hæc violaceum colorem habent, eleganterque per venas saturatiores variegantur: basi sua barbata albicante cum venis obscure purpureis. Petala erecta ex fusco purpurascentis obsoletique sunt coloris; ejusdemque

 etiam

etiam ferrata stigmata. Pollen antherarum albicat. Germen teres leviterque trisulcatum lineis virentibus senis notatur. Color partium omnium in variis individuis satis discrepare solet gradu saturationis; quod etiam in plerisque aliis Iridibus non minus obtinet: unde nec adæquate describi in his color ita potest, aut pingi, ut conveniat singulis. Floret Junio.

TABULA TERTIA.

SENECIO VERBENÆFOLIUS

Sub Senecionis Ægyptiaci nomine ante aliquot annos semina accepi, & adhuc sub eodem nomine coli in aliis hortis Botanicis audio. Non invenio autorem, qui hujus meminerit. Planta annua est. Sata primo vere, floret sub dio Junio Julioque, & Augusto semen perficit. Inter Linnæanos flosculosos Senecciones pertinet, a vulgari diversus calycibus non sphaceatis, & per squamulas calyculatis paucissimas. Ab Arabico Senecione differt foliis; Senecioni trifloro similimus, si radiatas ut flos esset. Cæterum tota planta est glaberrima.

TABULA QUARTA.

BOERHAVIA SCANDENS. *Linn. syst. pag. 51*
Boerhavia farinentosa. *Brown. hist. nat. 123*
Valeria[illegible], scandens, floribus pallide luteis pyxidatis, in umbellæ modum [illegible], semine aspero. *Sloan. hist. jam. 1. pag. 210*

In pluribus insulis Caribaeis crescentem hanc plantam vidi, copiosius autem circa Jamaicæ urbem, San Yago de la vega olim Hispanis, nunc Spanish Town Anglis nuncupatam; tum autem copiosissime omnium in insula Curacao, ubi passim aggeres, ad disterminandos hortos de saxis accumulatis exstructos, dense totos obvolvit, in ruderibus lapidosisque locis vegetans. Caules ligniosi & fruticosi scandunt, dum sustentacula occurrant; ex quibus iterum terram versus rami florentes propendent. Junciores sunt teretes & ad geniculi fragilissimi, quos folia opposita, petiolata, cordata, obsolete angulata, utrinque concoloria, ad intervalla ornant. Pedunculi stricti & elongati oris insident, apice pedunculos aliquot proprios in umbellæ formam gerentes. Flores ex viridi flavescunt, staminibus donati binis, raro ternis, nunquam observato a me unico. Fructus superne tuberculis circumdatur parvis capitatis & asperis. Cæterum tota planta glabra est. Apud nos æstatem sub dio commode non agit. Floret in hybernaculis a Majo ad serum usque autumnum; in solo natali per integrum annum.

TABULA QUINTA, ET SEXTA.

BOERHAVIA ERECTA. *Linn. syst. pag. 51.*
Boerhavia floribus paniculatis, seminibus pentagonis, truncatis. *Govan. hort. 2.*
Boerhavia solani folio, erecta, glabra. *Amm. herb. 241.*

Planta in hybernaculis nostris plerumque annua, rarius biennis, caulem teretem dico foliosum, erectum, interdum basi leviter procumbentem, debilem, inferne viscosum, herbaceumque protrudit. Hunc folia ornant opposita, glaberrima, ovata, acuta, sinuato-

un-

undulata, petiolata, subtus cum suffuso virore pallentia. Caulis inferior, pars petioli, margo nervusque folii medius plerumque rubent. Tabula quinta plantam juvenem repræsentat; sexta adultam, quando superior pars caulis in paniculatos ramos dispescitur, ita ut ignaro imponeret, ac si diversa esset. Racemi inæquales & tenues sustinent flores rubellos, infundibuliformes, limbo minutedentato. His filamenta sunt duo, sibi mutuo opposita, erecta, corolla duplo breviora, antheris prædita didymis. Stigma est rubellum, magnum, capitatum, obtusissimum, filamentis paulo longius. Fructus est obverse conicus, pentagonus. Floret totam æstatem. Diam quidem fert, sed non læte tunc vegetat, nec flores gerit rite expansos.

TABULA SEPTIMA.

BOERHAVIA HIRSUTA.

Boerhavia caule prostrato, pubescente; foliis ovatis, repandis. *Linn. mant. parte 2.* nedum edita.

Boerhavia foliis ovatis, floribus lateralibus compactis, caule hirsuto procumbente. *Mill. arch. 4.*

Ex radice annuam apud nos ætatem excedente, fusiformi & flavicante caules plerumque duo oppositi enascuntur, teretes, herbacei, hirsuti, procumbentes, ramosi & sesquipedales. Folia sunt glabra, dorso albida, margine pilosa, ovata, acuta, sinuato-undulata, petiolata, opposita. Floribus umbellatis corolla est purpurea, limbi semiquinquefidi laciniis emarginatis. Filamentum invenimus semper unicum. Æstatem sub dio bene agit. Synonymum celeberrimus Linnæus in litteris communicavit.

TABULA OCTAVA.

ASTER PANNONICUS.

In Hungariæ comitatu Nitriensi crescentem primus detexit, mecumque communicavit Clarissimus Franciscus Josephus Lipp, Friburgensis nunc Medicinæ Professor. Ex radice perenni quotannis caules plures prodeunt, uti tota planta, glaberrimi, teretes, subercsi, toti foliis ramisque onusti. Illa sunt ex lanceolato linearia, integerrima, acuta, sessilia. Rami numerosi eandem ferme altitudinem attingunt cum ipso caule, unde flores ex dunc corymbosi. Hi ex cæruleo purpurascunt. Ab Aftere ceri, cui proximus; distinctum puto foliis minime strictis, sed potius omnium flexibilissimis, tum etiam sapore nullatenus acri. Septembri florere incipit.

TABULA NONA.

CUCUMIS PROPHETARUM. *Linn. syst. pag. 640.*

Cucumis pumila, echinata, arabica, striis duodecim luteis & viridibus variegata. *Shaw. Afric. num. 68.*

Planta, habitu congenerum, apud nos diu fert non tantum, sed vel aliquoties jam in horto e fructibus relictis neglectisque sponte prodivit. Melone vulgari omnibus partibus minor, tota fœtorem spargit nauseosum. Caules & petioli sunt asperi atque angulosi. Folia sunt cordata, subtus aspera, quinqueloba dentataque; lobo intermedio ferme duplo

 lon-

longiori. Pedunculi axillares & uniflori flores gerunt characteri Linnæano omnimode congruentes. Fructus sunt globosi, glabri, aculeis innocuis mollibus sparsisque armati; variegatique striis numero incertis, virescentibus alternatim & flavicantibus. Amaritie colocynthidi non cedunt. Pulpa multa est, ac molis.

TABULA DECIMA.

PASSIFLORA SERRATIFOLIA. *Linn. syst. pag. 598.*
Granadilla Surinamensis, folio oblongo serrato. *Tourn. hist. 241.*
Granadilla americana, folio oblongo leviter serrato, petalis ex viridi rubescentibus. *Mart. cent. 36.*

Planta perennis fruticosa hyemem vegetat in hyemaculis nostris, caulibus teretibus, junioribus levissime villosis, altissime scandens. Stipulæ sunt lineares & acuminatæ. Foliorum ovatorum, per totum ambitum leviter serratorum glabrorumque petioli duobus glandularum paribus instruuntur. Pedunculi sunt uniflori & solitarii. Calyx externe viret, intus albicat. Petala pallide purpurascunt. Nectarii filamenta basi saturate purpurei sunt coloris, hinc cærulescunt, tandemque pallent. Antheræ sunt flavæ. Stigmata virent. Odor floris gratissimus est. Apud nos fructum ferre recusat.

TABULA UNDECIMA.

SOLANUM PSEUDOLYCOPERSICUM.
Solanum racemosum, cerasorum forma. *Bauh. pin. 167. Prodr. 90.*

Tota planta habitu, colore atque odore simillima est Solano Lycopersico. Discrimen reperio in racemis, quale ad distinguendam speciem sufficere posse, existimo. Nam in hac planta racemos observavi semper omnes simplices, quos video in Lycopersico esse æque constanter bifidos. Baccæ in eadem cerasi magnitudinem raro superant, suntque globosæ, villosæ, flavescentes, maturissimæ interdum ad aurantiacum colorem vergentes, nullo sulco, aut rarius unico loque levi, exarati. Quæ in Lycopersico sunt multo majores, semper sulcatæ, glaberrimæ & rubicundiores. In Suecia fructus glabros in litteris mihi asserit illustris Linnæus, quales etiam hoc anno in horto peritissimi Pharmacopæi Jacobi Wei vidi, cum vestigio tamen villorum.

TABULA DUODECIMA.

SOLANUM ÆTHIOPICUM. *Linn. syst. pag. 172. Amœn. acad. 4. p. 307.*
Solanum pomiferum herbariorum. *Lob. ic. 264.*
Solanum pomiferum, fructu rotundo striato duro. *Bauh. pin. 167.*

Planta annua, cum in foliorum costa utrinque media, tum in ramis & calycibus, apud nos semper munitur aculeis subulatis rectisque; quos in Suecia nullos se observasse Linnæus dicit, unde etiam inter inermia Solana locavit. Aculeos interdum observavit Caspar Bauhinus; in icone etiam expressit Lobelius. Folia sunt ovata, scabriuscula, repando-angulata. Caules teretes, subvillosi. Flores aliqui, nescio ob quem defectum, sterilis sunt, deciduntque; uti hoc non minus in aliis quibusdam Solanis obtinet. Hi plerumque bi-

bini aut terni in racemulo communi exoriuntur; dum fertiles sunt solitarii. Neque hæc tamen perpetua sunt. Corolla est alba. Bacca est depresso-globosa, sulcis aliquot profundis exarata, nitida, dura, eleganter ex phœniceo rubra. Æstatem apud nos sub dio agit; autumno in hybernaculum reposita fructum perficit.

TABULA DECIMA TERTIA.

SOLANUM VERBASCIFOLIUM. *Linn. syst. pag.* 172.

Solanum arborescens, verbasci folio. *Plum. spec.* 4.

Solanum maxime tomentosum, spinis carens, virginianum. *Pluk. alm.* 351. *t.* 216. *f.* 1.

In silvis montosis raris insulæ Martinicæ crescentem vidi hanc arbusculam, comosam, inermem semper totam, humanam altitudinem superantem, truncoque fulsultam crassitie brachii. Apud nos æstatem sub dio transigere potest, floretque integram, at fructus nedum produxit. Rami extremi, folia, pedunculi & calyces denso tomento obvolvuntur. In loco natali folia triplo majora invenit, quam hic exhibentur in culta planta. Pedunculi terminales erigunturque, perpetuo bifidi; ramis iterum bifidis, duplici igitur bifurcatione divisi. Floribus modoris corolla est alba. In America florentem novembri vidi.

TABULA DECIMA QUARTA.

SOLANUM IGNEUM. *Linn. syst. pag.* 174.

Solanum spinifexum frutescens, spinis igneis Americanum. *Pluk. alm.* 350. *t.* 225. *f.* 5

In hybernaculis nostris humanam altitudinem multum excedit elegans hæc arbuscula. Æstate dium tolerat, etiamsi videatur zonæ calidioris incola. Mihi in America hanc vivere non contigit. Fructum unicum elapso anno tulit, pisi magnitudine, & flavicantem. Truncus & rami, minus etiam foliorum costæ, obsidentur aculeis sparsis rectis ex flavo rubentibus. Folia sunt lanceolata, acuminata, juniora villosa, adulciora glabra. Flores modori in racemis laxis locantur; corolla alba, interdum subpurpurascente; antheris flavis. Per talea facile propagatur. Floret æstate & autumno.

TABULA DECIMA QUINTA.

SCABIOSA DIVARICATA.

Ex radice annua caulis excrescit unicus, teres, levi hirsutie scaber, ramosus, patentissimus. Folia sunt pinnatifida, inferiora & summa minus, lobis extimis obovatis dentatisque, in reliquis lineari-lanceolatis integrisque. Flores pedunculis elongatis insident. His involucrum est polyphyllum, inæquale, pilosum, corollaque duplo longius. Floscuri modori, quinquefidi, æquales parvique pallide purpurascunt; laciniis ovatis, obtusissimis, extima duplo majore & erecta. Stamina corollam non superant. Antheræ patent. Germen est villosum. Perianthium inferius brevissimum in quinque setas fuscas ri-

gidas corollaque duplo longiores abit. Exterius est membrana campanulata, albida, limbo multidentato, quæ postea fructus limbum circumvallat auctum expantumque. Fructus simbis est Scabiosæ ochroleucæ. Sub dio fata floret æstate. Sub titulo Scabiosæ Cardiacæ folio Bocconi habetur hæc planta in herbario Gronoviano.

TABULA DECIMA SEXTA.

MORINDA ROYOC *Linn. syst. pag.* 166

Morinda americana humifusa laurifolia. *Vaill. act.* 1722. *p.* 202

Morinda suffruticosa, foliis oblongis, angustis, utrinque acutis; radice crocea. *Brown. hist. jam.* 1. *p.* 159

Morinda angustifolia scandens. *Brown. hist. jam.* 2. *p.* 160?

Royoc humifusum, fructu cupressino. *Plum. spec.* 11

Periclymenum americanum, e cujus radice fit atramentum. *Pluk. alm.* 287 *t.* 212. *f.* 4.

Provenit in insulis in Caribæorum [illegible], ad margines fil[illegible], [illegible] suffruticosis reperitur. Dum non sustentatur a vicinis, debilis procumbit. Cæterum inter fruticum ramos suffulta erectam formam assumit, ramulis tamen suis, (quales hic repræsentantur,) varie propendentibus nativam prodens debilitatem. Truncus lignosus cortice cinereo vestitur. Rami juniores sunt quadrangulares. Folia sunt opposita, obverse ovata vel lanceolata, basi attenuata, petiolata, obtusa cum brevi acumine vel simpliciter acuta, nitida, integerrima. Rami tam communis inaequaliter subrotundum colligit germina infera in capitulum, quod in fructum communem coit flavum, succulentum, mollem fendumque. Corolla niveo est. Antheræ subpurpureæ. Semina albida, nunc turgida, nunc compressa & membranacea. Ex seminibus a me allatis germinavit in hyeraculis nostris, vegetat adhuc adhuc lætissime, floret quotannis, sed fructum dare recusat. Radix ramosa, extus subflavicans, teres, constat parte lignosa albicante durissimaque, & hanc circumdante multo alburno carnoso succoque crocei pentissimo. Ex hac spiritus vini principium magnum extrahit, tincturamque croceam efficit. Aqua etiam ibico simili colore tingitur, sed qui intra paucas horas mutatur in purpureo-fuscum. Infusum per chartam emporeticam filtratum limo albimumque sedimentum deponit saturate purpureum. Forte esset hæc radix apta tincturis in usu œconomico, quæ certe magna colligi copia in zona torrida posset.

TABULA DECIMA SEPTIMA.

DIGITALIS PARVIFLORA

Per novem jam annos elegans hæc planta in horto perennat, & floruit quotannis a Julio ad Septembris finem. Neque reminiscor, undenam introducta in hortum fuerit. Primo vere folia radicalia plura e terra promit, quale unum adpingi curavi. Sub Junii finem caules sequuntur stricti, firmi, simplicissimi, angulati, glabri, duos tresve pedes alti. Folia sunt oblonga, acuta, sessilia, glabra, superne interdum vix sensibiliter denticulata, marginibus & venis in dorso primariis villosis albidisque. Caulis terminatur in spicam foliosam. Flores sedent solitarii in axilis. Calycis foliola duo inferiora paulo latiora sunt, & obtusiora. Petala ferruginei, foris sæpe subflavicantis, & villosiusculi labium superius est integrum ac obtusissimum; inferius trifidum, lacinia intermedia pauxillo longiore. Stamina

sunt

sunt quatuor, sed adstat in plurimis floribus ad latus staminis brevioris stamen quintum, & ipsum antherа donatum. Reliqua sunt, uti in charactere Linnæano. Habitu igitur planta est proxima Digitali ferrugineæ, a qua distinguitur corollæ parvitate, labiique inferioris brevitate. Synonymum non novi.

TABULA DECIMA OCTAVA.

GERANIUM CICONIUM. *Linn. syst. pag.* 454. *Amœn. acad.* 4. *p.* 282.

Geranium cicutæ folio, acu longissima. *Bauh. pin* 319. *prodr.* 138.

Geranium apulum Coriandrifolium *Column. ecphr.* 1. *p.* 136. *t.* 135.

Planta est annua & diffusa, pubescens tota, folis tamen vix notabiliter. Hæc sunt petiolata & bipinnatifida: foliolis varie incisis, decurrentibus, obtusis. Pedunculi umbellati gerunt flores pentandros petalis donatos obsolete purpureis. Calyces laxi, rugosi & striati terminantur in aristam. Rostra aut recta sunt, aut incurva. Semina pilosa. Sub dio crescit, & ex seminibus delapsis sponte quotannis provenit. A Geranio grumo Linnæi folis valde tenuisque dissectis facile dignoscitur.

TABULA DECIMA NONA.

GERANIUM SIBIRICUM. *Linn. syst. pag.* 456. *Burm. ger. n.* 5. *p.* 17.

Ex radice perenni quotannis plures caules herbacei atque annui enascuntur, qui sunt diffuse dichotomi, geniculati, ferme teretes, glabrique. Stipulæ ad dichotomias utrimque adstant lanceolatæ & acuminatæ. Folia sunt opposita, quinquepartita, laciniis æqualiter pinnatifidis acutisque. Pedunculus foliis longior ex dichotomis, vel jam factis, vel talibus evasuris egreditur, superne bracteis duabus muniitus, & semper a me observatus uniflorus. Calycis foliola sunt aristulata brevierque aristata. Petala dilute purpurascentia sine striis ullis vix calycem superant, aut integerrima, aut leviter emarginata. Stamina sunt fertilia decem. Plantæ sub dio libere crescentis divaricatio sæpe summa est, quam icone exhibitam non cepisset chartæ forma; hanc minus divaricatam in olla crescentem tabula habet. Floret Majo & sequentibus.

TABULA VIGESIMA.

PASSIFLORA MINIMA. *Linn. syst. pag.* 599.

Passiflora seu Flos Passionis curassavicus, folio glabro trilobato & angusto, flore flavescente omnium minimo. *Plum. atm.* 282. *t.* 210. *f.* 3.

Primum crescentem inveni hanc plantam æque in Continente Americæ, quam in insulis adjacentibus, ubi fruticosa amat aprica. Baccis suis nigris mollibusque cum Passiflora nigra in observationum parte altera descripta convenit, uti etiam reliquo habitu, sed differt foliis margine non scabris, floribusque. Pulchrime & optime descripsit hanc plantam Loeflingius, prouti videre est ex edito ejusdem itinere pagina 247; quare supersedeo. In hybernaculis nostris lætissime excrescit.

TABULA VIGESIMA PRIMA.

JATROPHA URENS. *Linn. syst. pag.* 636.

Ricinus tithymaloides americanus lactescens & urens, floribus albis. *Comm. hort.* 1 *p.* 19. *t.* 10.

Ricinus lactescens, fici foliis, spinulis mordacibus armatus. *Plukn. alm.* 320. *t.* 220. *f.* 2

Frutex duos quatuorve pedes altus, parum lignosus, trunco unum alterumve pollicem in diametro æquante, lacteoque succo scatens, armatur, in ramis præcipue junioribus foliisque, aculeis albis, subulatis, rectis reflexisque, & urentissimis, unde incommodissima iter efficiunt pedibus; sicuti mihi sæpius molestissima fuit obambulanti in fabulosis oppidi Coro, Metropolis Provinciæ Venezuelæ in Americes Continente, non magna copia inter Capparides aliosque fruices crescit. In hybernaculis nostris calidissimis laete vegetat, floretque quotannis diverso tempore; sed diutius nec æstate ferre sine languore potest, quin sæpe pereat. A foliorum lapsu cicatrices albæ remanent. Sunt vero illa longe petiolata, basi cordata, alterna, semitriloba, rarius subquinqueloba, acuta, marginibus dentato-acutatis. Cymæ terminales sustinent laxe flores solitarios niveosque. Feminei sunt pentapetali, foliolis obovatis, revolutis, calycectte margine quinquedentato [illegible] brevem crassumque terminante. Masculi flores calyce pentaphyllo destituuntur, & [illegible] hypogynis [illegible] limbi quinquefidi laciniis ovatis. Fructus qui [illegible] nec apud nos, nec in loco natali, perfecti [illegible], quia [illegible] ipsi lobi brevissimi, unde forte est diversa a planta Linnæana, quam affert Commelinus.

TABULA VIGESIMA SECUNDA.

CITHAREXYLUM QUADRANGULARE. *Jacq. hist. amer. pag.* 186.

Fortasse elegans arbor [illegible] Citharexylum cinereum Linnæi. Differt tamen ab eadem, quam citato loco fuse descripsi, baccis maturis rubentibus, & ramis (etiam brachium crassis) omnibus, teretibus quidem sed per costas tamen quatuor decurrentes inæqualibus. Et propterea etiam ipsi incolæ utramque distinguere norunt. Cæterum est etiam cortex cinereus, & reliqua conveniunt omnia; unde descriptione superfluo. In hybernaculis floret quotannis, postea folia demittit omnia, nec fructum perficit ullum. Quotannis etiam putari debet ob nimiam ramorum luxuriem; nec etiam essent hybernacula his capiendis; dum quolibet anno ad duos tresve pedes elongentur. Hinc hybernaculis vastioribus ornamento est.

TABULA VIGESIMA TERTIA.

DOLICHOS UNGUICULATUS. *Linn. syst. pag.* 482.

Dolichorum & Phaseolorum ex descriptione difficilis est cognitio, quamobrem hunc icone propono, quem in proximis tabulis plures sequentur alii, quos jam cælatos habeo. Planta annua est toraque glabra; caule volubili; foliolis lanceolato-ovatis acutisque; & pedunculis capitatis paucifloris & erectis. Ut plurimum flores bini pedunculos terminant, quibus jam in fructum abeuntibus, prodit flos adhuc unus alterve. Calyx dilute viret, & est scabriusculus. Vexillum externe & carina albicant. Stigma longa barba donatur. Legu-

gumen teres, leviter torulosum glabrumque desinit in apicem recurvatum acutum & superne canaliculatum. Semina sunt albida cum halo luteo. Primo vere in hybernaculis culta, æstatem sub dio transigere potest.

TABULA VIGESIMA QUARTA.

CLEOME PENTAPHYLLA. *Linn. syst pag.* 447.

Sinapistrum indicum pentaphyllum, flore carneo, minus, non spinosum. *Sloan. hist. jam.* 1. *pag.* 294.

Quinquefolium Lupini folio. *Bauh. pin.* 326.

Capa-Veela. *Rheed. mal.* 9. *p.* 43. *tab.* 24.

Planta est annua, elegans, fœtida, erecta, aut glabra tota, aut inferne pilis raris adspersa, caule teretiusculo & ramoso. Folia caulina & ramea sunt quinata omnia: foliolis obovatis, acutis, tenuissime serratis. Folia floralia sunt ternata, obovata, obtusa, integerrima, minima breviter petiolata, reliqua sessilia. Hæc laxe decorant racemum longissimum, dum ex axilis suis (nec tamen singulis) emittunt pedunculum patentem & uniflorum. Calycis foliola sunt lanceolata. Petala alba aut carnea. Germen pedicello purpureo longo tenuique insidet, circum quem filamenta locantur sena concoloria & æqualia. Siliqua pilis rigidis obtusis brevissimisque scabra est, nunc punctata videtur. Æstate dum quidem tolerat, lætius tamen in hybernaculis moratur.

TABULA VIGESIMA QUINTA.

CORONILLA CRETICA. *Linn. syst pag* 491.

Coronilla cretica herbacea, flore parvo purpurascente. *Tourn. cor.* 44.

Radix fibrosa, sub dio apud nos annua, in hybernaculis asservata per hyemem interdum perennans, caules emittit plures decumbentes, ramosos, herbaceos, sulcato-striatos, nitidos vel subpilosos, duos tresve pedes longos. Costæ sulcatæ foliola sustinent numero incerto undecim, tredecim, vel quindecim, deficiente interdum impari, obovata, glabra, obtusissima, non raro retusa. De axilis egrediuntur pedunculi communes, gerentes in extremitate flores ut plurimum quinque, tum etiam pauciores vel plures; qui Linnæanum characterem exacte sequuntur. Vexillum est subcarneum cum striis purpureis, aut etiam his destitutum. Alæ aut albicant, aut carneæ sunt. Carina longitudine alarum est alba cum apice fusco. Legumina sunt acuminata. Semina flavescunt pallide. Floret æstate.

TABULA VIGESIMA SEXTA.

MESEMBRYANTHEMUM FORFICATUM. *Linn. syst. pag.* 346.

Planta est lignosa, fruticosa, tota glabra, & debilis, habitu similium congenerum. Truncus & rami annosiores sunt teretes & cinerei. Juniores autem sunt ancipites. Folia fasciculatim ramos ornant opposita, basi leviter & sæpe vix connata, cymbæformia, dorso integra nec crenata, obtusa cum acumine, obsolete punctata. Puncta sive tubercula pauca

 di-

distincte videntur, nisi folia, ut pelluceant, luci opposita considerentur, quando tunc in conspectum numerosa prodeunt. Flos solitarius terminat ramos, erectus, petalisque prædictis ruoris & linearibus. Floret æstate sub dio.

TABULA VIGESIMA SEPTIMA.

LOBELIA LONGIFLORA. *Linn. syst. pag.* 583. *Brown. hist. jam. p.* 322. *Jacq. hist. amer. pag.* 219.

Rapunculus aquaticus, folis cichorei, flore albo, tubo longissimo. *Sloan. hist. jam. 1. p.* 158. *t.* 101. *f.* 2.

Trachelium fonchi folio, flore albo longissimo. *Plum. ic.* 253 *f.* 1.

Et floris integram characterem, & plantæ descriptionem dedi in Historia stirpium Americanarum, quibus hic non repetendis addam sequentia. Dum in nostris hybernaculis planta servatur, vivet per integrum annum, eosque plures dies. An perennet in solo natali, ignoro; at radix ibidem sæpe multiceps videtur hoc a bimare. Semina matura fert apud nos quotannis omnino numerosissima. Quando in hybernaculis stat loco, ubi aër non renovatur, atmosphæram effluvis implet, pulmoni & odoratus organo infestis, ut fortasse cum difficultate quis permaneat. Lac de læsa planta emanans, unguæ imprimit sensum ardoris. Apud nos a Junio ad Decembrem floret.

TABULA VIGESIMA OCTAVA.

CRATÆGUS PUNCTATA.

Arbor annum nunc agens arte duodecimum, aut ultra, acquirit decempedalem, ramos spargit diffusos, & sub dio hyemes nostras optime perferet, florens fere finem Aprilis, fructusque dans Augusto maturos. Ex horum satis seminibus nullum mihi unquam germinavit; sed pyro insita propagatur facilime. Spinis plane nullis armatur. Folia sunt obovata, acuta, basi attenuata, inæqualiter duplicato-serrata, & utrinque glaberrima. Stipulæ sunt lineares, ciliato-serratæ & caducæ. Ramusculos teretes glabrosque terminant racemi compositi, partialibus pleriisque trifidis. Floribus styli sunt tres aut quatuor; quos aut plures, aut pauciores nunquam inveni. In fructu carnoso officula sunt durissima numero stylorum. Color illi est ex aurantio rubellus cum adspersis punctis fuscis: carni albidus. Ex Hollandia huc transvecta fuit sub arboris Americanæ ignotæ titulo.

TABULA VIGESIMA NONA.

BYTNERIA MICROPHYLLA.

Inveni hunc fruticem anno 1757. mense Februario in fruticetis maritimis apricis, loco arenoso, ad ipsam vicinam oppidi Port au Prince in insula Domingo, foliis floribusque tunc plane destitutum, sed solis fructibus onustum; quos colegi, mecumque in Europam redux attuli. Ex his ante octo annos terræ mandatis aliquot nunc frutices lætissime in caldariis vegetant decempedales; qui quotannis autumno flores quidem producunt numerosissimos, sed fructum nedum dedere ullum. Habitus fruticis singularis est. Dispescitur in ramos

mos distichos, alternos, sensim decrescentes, magis minusve flexuosos, horizontaliter porrectos, & protensos super alios fruices, ut debiles sese sustineant. Totus frutex glaber est. Truncus lignosus, teres & inermis cortice vestitur cinereo. Ejusmodi sunt etiam rami seniores. Juniores autem sunt virides, nitidi, lenti, subangulati; armanturque ad breves distantias toti aculeis subulatis, compressis, sursum erectis, decidus in ramis senescentibus. Ad horum singulorum latera horizontaliter egrediuntur folia duo (aut unicum) brevissime petiolata, ovata vel obverse ovata, integerrima aut apice varie & inæqualiter dentata, tota inermia, nunquam majora quam illa, quæ in tabula exhibentur. Pedunculi filiformes & uniflori in axillis foliorum plures a tribus ad novem sibi mutuo succedunt ut in quavis ala flos fere unicus expansus habeatur. Hic modorus & ex albo purpureus varius charactere gaudet illo, quem in Historia Stirpium Americanarum descripsi. Cujus generis ut pateat, intelligaturque evidentius structura singularis, exhibui primo florem magnitudine naturali; tum eadem etiam magnitudine fructum integrum pentacoccum, capsulam unam seiunctam, semenque exemptum. Tandem microscopio ad duplam aucta addidi florem denuo integrum; petalum unum; nectarium totum, ad cujus latera utrinque conspicitur anthera filamento brevissimo affixa; & hujusce nectarii foliolum singulare. Denique germen adstat, forte centies lente adauctum. Differt itaque nova hæc species momentis pluribus a Bytteria Linnæi scabra, quam in Americanarum Historia Stirpium dixeram aculeatam, videlicet foliis inermibus, trunco ramisque majoribus teretibus, pedunculis unifloris & floribus semipurpureis.

TABULA TRIGESIMA.

MELOCHIA PYRAMIDATA. *Linn. syst. pag.* 451.
Melochia herbacea tenuissima ramosa, foliis oblongo-ovatis, florum umbellulis lateralibus, foliis approximatis. *Brown. hist. jam.* 3 *p.* 276.

In systematis ultimo editi citato loco reducit ad hanc speciem Linnæus Melochiam meam Domingensem. Hæc, quæ frutex est lignosus, humanam sæpe excedens altitudinem, certissime distincta est a Melochia pyramidata, tota apud nos herbacea, quantumvis habitus congruant. Sed an magis esse pyramidata potest species illa, cui Læflingius tribuit folia parva duarum trium vel trium linearum longitudine, petiolos hirsutos unamque lineam longos, caules frutescentes & flores albos? Nec etiam Læflingiana illa planta esse mea Domingensis potest, nec magis esse Linnæi pyramidata. Aut igitur omnes hæ plantæ sunt species distinctæ; aut præter modum variant; aut depicta hæc mea non erit pyramidata Linnæi. Est vero hæc in caudarum nostris culmi cauliis teres, glaber, crectus & tripedalis. Rami alterni folius opponuntur, & inter utraque exoriuntur pedunculi communes umbellati semipollicares. Flos in corolla semper est purpureus. Folia sunt lanceolata, petiolata, acuta, obtuse serrata, glabra, duos tres quatuorve pollices longa. Sata primo vere, floret æstate, & semina dat maturata Septembri.

TABULA TRIGESIMA PRIMA ET SECUNDA.

BROMELIA KARATAS. *Linn. syst. pag.* 232. *jacq. hist. amer. pag.* 90.
karatas foliis aliissimis, angustissimis & aculeatis. *Plum. gen.* 10.

Meretur omnino elegans & rarissime in hortis Europæis florens hæc planta icone accurata illustrari. Hinc tabula ex modo indicatis prior magnitudine illa, qua in hortis Cæsareis Viennensibus fructigera jam sæpius conspecta fuit, stirpem exprimit integram, fo-

lis foliis ob nimiam longitudinem truncatis. Altera tabula eandem exhibet longitudinaliter dissectam totam, ut interiora pateant. Sic caulis spectatur nullus, nisi quis caulem fortasse fatetur partem illam supremam radicis elongatæ, e qua folia superiora egrediuntur. Radix novellæ plantuæ, e semine natæ, exigui bulbili speciem refert, emissis fibris teretibus longisque adaucta. Bulbillus sic per subsequos annos paulatim producitur in corpus ovatum, fibris percurrentibus subligneum, aloidumque, e quo folia presse sibi succedentia superiora ortum ducunt. Hoc tandem corpus contrahitur in collum, cujus extremitati multicipiti flores aggregatim numerosi insident, palea membranacea fusca oblongis atque extus villo fusco parcum obductis ab invicem distincti. Convexum semipedalis diametri circam simul efficiunt, omnino ducenti aut trecenti flores modori, fere tripollicares, corolla rosea calyce & germine villo ferrugineo adspersis, in fructu persistentes quidem, sed mutati emarcidique. Fructus ovales & tres pollices longi obducuntur lanugine fusca, quæ tollitur facile. Cortex coriaceus & ex fusco flavoque varius carnem continet raram, succulentam, acidam, supore acido dulcique præditam, & subtrocularem; in qua semina nidulantur plurima suborotunda, glabra & fusca. Decorticata caro palato non displicet, modo abunde maturi sint fructus; tunc enim levis tantum acor percipitur, quem facile obtundit juncta dulcedo mellea; at, quod fatendum tamen est, raro istusmodi occurrunt. Immaturi stuporem dentibus inducunt, fauciantque interdum comedentis palatum & gingivas. Quamcunque tamen fuerint maturitatem adepti, immoderatius comestos affecisse dolore linguam aliquo, crebræ observationes docuerunt. Summam tamen acrimoniam illam in fructibus Viennensibus non fui expertus; sed abfuit etiam in illis dulcedo alia mellea. Proles novæ e radice ad latera matris enascuntur. Semina quoque nostrorum fructuum facile germinarunt. Folia numerosa, subulato-linearia, canaliculata, mucronata, cinato-spinosa spinis sursum arcuatis valideque pungentibus, basi villo (externa quidem densissimo) ferrugineo mixtoque vestita, erecta, minus rigida quam in cognitis mihi congeneribus, hinc superne plerumque reflexa, humanam saepius altitudinem excedunt. Caribæo vocabulo incolis Karatas appellatur. Reperitur in locis montosis & sylvaticis, ut plurimum ad truncum arbusculæ, cujus umbra fruitur. Illustris Linnæus credit hanc Bromeliæ speciem esse diversam a Pisonis Caraguata Acanga, qua super re judicium ferre nequeo. In tabula priore adstant fructus integer, idemque cum transverse tum longitudinaliter dissectus, una cum semine. Jam defloruerat planta, dum animo suscepi hujus operis editionem; unde florem ejusdemque partes in tabula exponere non potui. Si qua floreant denuo, curabo, ut apto loco sistantur.

TABULA TRIGESIMA TERTIA.

GEROPOGON GLABRUM. *Linn. syst. pag.* 1109.

Tragopogon gramineo folio, glabrum, flore dilute incarnato. *Raj. suppl.* 149.

Tragopogon calycibus corollæ radio longioribus, foliis integris, seminibus levibus dissi plumosis, radii setaceis. *Linn. hort. upsl.* 243.

Planta annua est erecta & pedalis. Aprili sub dio sata dat flores mense Augusto. Tota glabra est, læsaque lactescit. Folia sunt angusto-ensiformia, acuminata & sessilia. Floribus erectis calyx est plerumque heptaphyllus. Corolla coloris carnei. Semina glabra & vix aspera, radii stricte rigideque patentissima sunt; intermedia stant erecta. Illa pilis paucis inæqualibus simplicibusque coronantur. Hæc pluribus, magis tenuibus plumosisque. Calycis basis interdum pubescit.

TA-

TABULA TRIGESIMA QUARTA.

PHASEOLUS RUFUS.

Synonymam hujus plantæ non reperio. Annua scandit caule ramisque volubilibus & vix visibiliter pubescentibus. Petiolorum communium bases petiolique proprii paulo pubescunt manifestius; magis iterum calyces & pedunculi. Foliola glaberrima sunt vere Phaseoli vulgaris, at minora; a Phaseoli inamœni foliis hinc constanter diversissima. Stipulæ sunt exiguæ & acutæ. Racemi petiolis duplo breviores gerunt flores geminatos aut ternatos; ac non una florentes. Flores cum floribus Phaseoli inamœni ita congruunt figura, magnitudine & colore, ut distingui nequeant. Scilicet carina & vexillum obverse cordatum concavum reflexumque virent. Alæ oblongæ, concavæ & erectæ initio sunt coloris nivei, qui brevi transit in sordide flaventem. Legumen compressum & acuminatum semina duo vel tria continet inæqualiter ovata, parum compressa, ex saturate rubro ferruginea sive rufa. Floret sub dio mense Augusto. Semina perficit Octobri. Patriam ignoro. Folius & semine a Phaseolo inamœno, ceu species propria, discriminatur.

TABULA TRIGESIMA QUINTA.

CONVOLVULUS FARINOSUS *Linn. mantis part.* 2.

Planta annua sub dio sata floret Septembri, & parca vel nulla ante ingruentem hyemem semina perficit. In calidaris locata floret jam initio Augusti. Caules, petioli, pedunculi, foliaque nedum rite evoluta, vix conspicua pube obducuntur. Caules volubiles scandunt, ad extremitates subincani, ac veluti farina adspersi, cæterum virentes. Folia sunt cordata, obscure & inæqualiter repanda, glabra, basibusque sæpe productis subangulata. Pedunculi ex foliorum alis exeunt solitarii, paucifiori, rarius unifiori. Calycis glabri & palide virentis foliola sunt acuminata. Petali carnei & subinfundibuliformis limbus est obtusus & semiquinquefidus. Tubi pars inferior est quinquesulcata. Antheræ oblongæ erectæque palide cæruleascunt. Stigmata duo linearia ferme æquant ipsum longitudine stylum. Capsula glabra, fusca, subrotunda, obsolete tetragona, quadrilocularis, quadrivalvis. Semina solitaria, atra, nunc angulata, illuc subrotunda, levissime villosa.

TABULA TRIGESIMA SEXTA.

VIBURNUM DENTATUM. *Linn. syst. pag.* 218.

Arbuscula Virginica hyemem nostram sub dio perfert, floratque jam bis sub Junii finem, at fructum baccatum, nedum maturum, dimisit, fortasse nimis adhuc tenella. Cortice vestitur glabro fuscoque. Folia habet ovata, acuminata, opposita, petiolata, facie glabra, dorso levissime pubescentia, argute serrata, per nervos laterales ex nervo medio usque in apices dentium obliquo adscendentes in initio valde plicata, postea tamen expansa & planiora; in ramis junioribus florentibus interdum terna. Cymæ terminales. Flores albi.

TABULA TRIGESIMA SEPTIMA.

SALVIA VIRGATA.

Sub titulo Salviæ pyrenaicæ semina hujus plantæ accepi. Non potui ad ullam Linnæanam speciem reducere; quare proposui ceu novam. Fert optime cælum nostrum; quin etiam de semine delapso sponte provenit. Primo anno folia dumtaxat produxit radicalia, altero caules. Sunt autem illa oblonga, obtusa, basi cordata, petiolata, per venas numerosissimas contracta & rugosissima, crenata, margine sinuato-undulata, superne atrovirentia & glabra, nervo tamen medio excepto, qui, uti etiam petiolus venæque dorsales, villis instruitur, sex vel novem pollices longa, & duos tresve lata. Folia caulina, inferiora petiolata, superiora sessilia, sunt crenato-dentata, rugosa, vix hirsuta. Caules hirsuti, obtuse quadrangulares, erecti, stricti, quadripedales, ramis longis ad angulum acutum ascendentibus aucti, cum iis terminantur in racemos virgatos longosque. Bracteæ integræ, cordatæ & acutæ excipiunt singulos flores ternos breviter pedunculatos. His est calyx rugosus, hirsutus, sulcatus & bilabiatus. Labium superius est latius & levissime bi- vel crenulatum, inferius est bifidum dentibus acuminatis. Corollæ aut niveæ, aut pallide roseæ, aut cærulescentes, labii inferioris laciniæ laterales sunt lanceolatæ. Antheræ fuscescunt. Semina sunt atra. Floret a Julio ad Novembrem.

TABULA TRIGESIMA OCTAVA.

CYNANCHUM ERECTUM. *Linn. syst. pag.* 192.
Apocynum primum latifolium. *Clus. hist.* 1. *pag.* 124.
Apocynum folio subrotundo. *Bauh. pin.* 302.

Syriam agnoscit patriam hæc planta, quam invenisse se circa Tripolim, tum etiam circa Barram ad Euphratem, asserit Rauwolfius. Frutex totus glaber, inordinate ramosus, quinque vel sex pedes altus, erectus, debilis. Rami teretes & flexiles cortice vestiuntur cinerascente, qui succum nullum fundunt, juniores leviter compressi virent, parumque intorquentur, ac si si volubiles evasuri essent. Folia cordata, acuta, integerrima & glauca per petiolos breviores sibi opponuntur, niveumque liquorem læsa stillant. Cymæ axillares compositæque flores sustinent plurimos niveos & odoratos. Nectaria sunt foliola quinque, alba, petaliformia, stylo duplo breviora, patula, cum petalis alternantia, germinique inserta. Squamæ staminiferæ quinque, gibbæ, germini intra nectaria foliola impositæ, stylo accumbentes, interne unilaterales. Filamenta decem, ascendentia, singula vicina duo ex eodem puncto inter duas squamas proximas. Antheræ oblongæ, erectæ. Stylus indivisus, inverse fusiformis supra bifidum germen in conum coarctatur. Stigma obtusum bifidumque. Fructum in horto nondum tulit. Hyemem agit in hypothecario. Junio & Julio floret sub dio.

TABULA TRIGESIMA NONA.

MALVA PARVIFLORA. *Linn. syst. pag.* 460. *sp. pl. pag.* 969.
Malva lusitana, flore cæruleo, parva. *Pluk. alm.* 283. *t.* 44. *f.* 2.

Planta annua sub dio in horto feritur, floretque Julio & Augusto. Afra hæc species maximam similitudinem habet cum Europæa Malva rotundifolia, a qua imprimis distinguitur caule non prostrato, sed erecto, ramis tamen sæpe patentibus vade diffusisque. Tota le-

levissime pubescit, & scabriuscula est; sæpe iterum ferme glabra. Folia sunt subrotunda, dentata, & ad oras magis minusve lobata. In alis flores pauci glomerati breviterque pedunculati locantur. Calycis glaberrimi foliola exteriora linearia sunt. Interior in fructu patet. Petala oblonga, emarginata pallideque purpurascentia calycem vix superant. Arilli rugosi, oris lateralibus sunt obsolete dentati.

TABULA QUADRAGESIMA.

MALVA VERTICILLATA. *Linn. syst. pag.* 460.

Malva sinensis, annua, erecta; flore minimo. Hirsuta. *Raad. act. philos. vol. XXXII.*

Malva sinensis erecta, floculis albis minimis. *Boerh. ind. t. 1 pag.* 268.

Malva annua rotundifolia, floribus omnium minimis albis pentaphyllis, verticillatim geniculis amplectentibus. *Moris hist.* 2. *pag.* 521. *num.* 4.

Ex radice annua & fibrosa fructe erigitur caulis teres, partim scaber, sesquipedalis aut etiam altior. Folia sunt subrotunda, basi cordata, dentato-serrata, margine septemlobato, facie glabra, dorso haud valde pubescentia. Stipulæ sunt ovatæ & acutæ. Pedunculi uniflori & breves aggregatim axillis foliorum insident. Calyx est scaber; exterior ex tribus foliolis lanceolatis, interior in fructu connivens. Petala ex oblongo obverse cordata patent cum oris supremis purpureis. Sub dio sata florent Julio & Augusto.

TABULA QUADRAGESIMA PRIMA.

LAVATERA CRETICA. *Linn. syst. pag.* 461. *hort. upsl.* 202.

Malva cretica annua altissima, flore parvo ad alas umbellato. *Tourn. cor.* 2.

Malva annua hirsuta, foliis hederæ instar angulosis. *Moris hist.* 2. *pag.* 521. *f.* 5. *t.* 17. *f.* 5.

In horto sub dio sata, flores aut autumno producit, pauca ante hyemis adventum matura dat semina, tuncque perit, humanam fere altitudinem adepta. At sata in olla, dum ingruente frigore transfertur in hybernaculum, per integram ibi hyemem vivet, novosque flores jam Februario producit, fructus maturos Junio mense. Atque sic jam tertiam perennan agit æstatem, & tamen nec lignea aut vere fruticosa. Tota planta tomento, imprimis in foliis, sed tam brevi obducitur, ut in figura omitti potuerit aptius quam exprimi. Rami sæpe jam infimam caulis partem ornant, mutti atque diffusi. Folia sunt subrotunda, ora subquinquefida, basi haud cordata, obtuse dentata. Inferiora plerumque obtusa, planiora minusque incisa. Superiora, qualia sunt omnia in ramo picto, profundius divisa, acuta, & magis minusve plicata. Stipulæ sunt lanceolatæ, acuminatæ & integerrimæ. Pedunculi uniflori ex alis foliorum bini vel terni, rarius plures, egrediuntur. Calyx est subtomentosus. Petala obverse cordata simulque oblonguscula dilute purpurascunt. Fructus umbraculo destinatus arillos continet circiter octo.

TABULA QUADRAGESIMA SECUNDA.

STATICE ARMERIA MAJOR.

Statice Armeria. *Linn. spec. pl. 1. a. pag.* 349.
Gramen marinum majus. *Chif pann.* 327.
Caryophyllus montanus, sive mediterraneus. *Lob. ic.* 452.
Caryophyllus montanus major, flore globoso. *Bauh. pin.* 211

Tota planta habitu non minus quam florum structura & colore convenit cum Caryophyllo montano minore Casparis Bauhini; atque etiam propterea recentiores Botanici, sicuti jam dudum Linnæus, & nuper quoque Hallerus, alteram pro alterius varietate habuerunt. Solum discrimen invenio in foliis, quæ sunt in hac depicta majore ex longo lanceolata, acuminata cum apice incurvo, plana, cum oris albicantibus nervisque obsoletis. Sed video, discrimen hoc esse constantissimum in culta planta, adeo ut neutra in alteram ætate transmutetur; neutrius semina sata aliam quam stirpem matrem referentem plantam producant; nec inter nostrates sylvestres, minores omnes vereque gramineas, unquam accrescentem ullam & ad latifolium accedentem conspicere mihi licuerit. Floret altero a satione anno. Radix sapore gaudet adstringenti.

TABULA QUADRAGESIMA TERTIA.

SILPHIUM TEREBINTHINACEUM

Ex acceptis a clarissimo Divo de Royenis, satisque e Schannatzii sub dio seminibus excreverunt plantæ, quæ primo anno sola folia produxere radicalia, altero flores. Scilicet tunc ex radice fusiformi longique caulis solitarius & bipedalis enatus fuit, qui, sub finem Octobris primo decoratus flore, mox ingruente frigore perit. Radix in hortum Vindobonensem a me translata, facta triceps, altero anno tres caules emisit sexpedales annuos, glabros, erectos, firmissimos, solidos, teretes, superne paniculatos, at cæterum in toto decursu ramo nullo ornatos, ad distantias foliosos. Radicalia folia & caulina inferiora sunt ampla, cordata, acuta, erecta, utrinque (dorso tamen magis) scabra, ad oras acute dentata pilisque canita brevissimis, alterna, venulis reticulatis anastomizantibus numerosissimis, nec tamen rugosa. Petioli longi, amplexicaules, glabri aut scabriusculi. Folia caulina subsequa sunt similia, sed ad basin haud cordata. Reliqua magis oblonga & semiamplexicaulia, summa integerrima, sessilia, concava. Pedunculi elongati, teretes, aphylli plerique; paucissimi foliolis duobus oppositis instruuntur. Flos terminalis in caule floret primus. Ultra hunc, in fructum jam abeuntem, producantur postea pedunculi in panicula laterales, seseque sic mutuo excipiunt. Omnes flores expansi spectant orientem. Odor floris, qualis solet esse in Helianthis. Calyx communis imbricatus, mundus & subrotundus constat foliolis concavis, obtusis; extimis ovatis, brevioribus atque erectis; interioribus lanceolato-oblongis, longioribus & superne patentibus in flore, in fructu erectis. Corollulæ fæmineæ ligulatæ in radio circiter triginta, calyce duplo longiores, patentissimæ, luteæ, apice æqualiter in tres duosve denticulos incisæ, communiter bifulcatæ. His stigmata duo, & germen magnum, obverse ovatum, glabrum, compressissimum apiceque bidentatum. Hermaphroditorum in disco numerosorum corollulæ saturatius luteæ successive decidunt a germine primæ, post has tandem radiales. Est vero hermaphroditus stylus stigmate simplici obtusoque terminatus & corollulæ concolor. Anthera nigricans. Et germen subfusiforme obtusum & pubescens. Semina radii ingrata habent sui germinis, fusca, nitida & coronata margine parvo bidentato. Hermaphroditorum in disco semina columnaria

&

& tetragona abortant omnia. Receptaculum leviter convexum instruitur paleis oblongis & membranaceis. Semina maturescunt initio Novembris. Tota planta dat læsa succum terebinthinaceo odoris. Patriam ignoro. Ut idea nascatur totius elegantissimæ hujusce plantæ, tabula exhibet discissi in B caulis superiorem partem. Tum infimam ejusdem caulis partem DC, ubi in D pars discissa unius capitis radicalis conspicitur. Inter A & C pars magna caulis desideratur. Folium etiam radicale, quod maximum planta habuit, non coloratum venisque solummodo notabilioribus instructum sistitur. Aliorum petioli sunt truncati, ut ne confusio oborta fuisset. Adsunt quoque flos uterque, semen utrinque visum, & paleæ.

TABULA QUADRAGESIMA QUARTA.

CARDUUS PYCNOCEPHALUS. *Linn. syst. pag.* 529. *spec. pl. pag.* 1151.
Carduus nemorosus italicus. *Barr. obs.* 925. *ic.* 417.
Carduus pycnopolycephalus sylvestris. *Tournef. cat.* 100.

Radix fusiformis, vix digitum minimum crassa, subligniosa, intus albicans, cortice vestitur fusco, fibrillisque augetur. Caulis erectus, ramosus, bipedalis, striatus, a foliorum marginibus alternatim flexuosis decurrentibus spinosisque totus crispus, plure aut pauciore tomento arachnoideo magis minusve albicat. Folia sunt oblonga, semipinnatifida, dentata cum nervis in spinas subulatas fuscescentes pungentes rigidasque abeuntibus, antice pubescentia virentaque cum plagis intermixtis magis albidis; postice sæpe subtomentosa & albidiora, radicalia minus divisa. Pedunculi omnino inermes & incani unicum paucosve flores sustinent. Calyx est oblongus, subtomentosus, imbricatus ex squamis lanceolato-subulatis, spinosis, pungentibus, exterioribus magis patentibus. Corolla purpurea cum anthera concolore saturatiore limbum habet vix patentem; cujusmodi floscullus singularis etiam depingitur, ad latus adstante floscullo alio magis patulo, qualem in radio interdum inveni. Calyces cum seminibus maturis integri decidere solent. Floret Augusto.

TABULA QUADRAGESIMA QUINTA.

ECHII PLANTAGINEI. *Linn. mant. part.* 2. *pag.* 202. an varietas?

Echio vulgari latus simile est, a quo constanter differt imprimis radice dumaxat annua, dum, satum primo vere sub dio, eodem jam anno floreat a Junii fine ad Septembrim usque, quando fructu perfecto planta interit tota. Tum etiam radix in hac planta tenuior & fibrosa colore gaudet plerumque (nec semper) rubro, sanguineamque succum fundit. Cæterum pilosum quidem est, at pilis nec rigidis, nec qui in caule ex verruculis nigricantibus oriuntur. Caulis rectus est, & pedalis aut altior. Folia oblonga, obtusa, radicalia & inferiora attenuantur in petiolum longum, superiora sunt sessilia. Radicalia in centenis individuis horti nostri nullum habuit latiora aut magis ovata, quam sunt illa, quæ in tabula repræsentantur; quare de specie dubito. Flores locantur, veluti in Echio vulgari, in spicis foliosis elongatis & secundis, eademque figura sunt prædita, sed colore magis dilato, & filamentis albidis corollam non excedentibus, imo ut plurimum brevioribus, stylique albo sublarfato breviori.

TABULA QUADRAGESIMA SEXTA.

LATHYRUS TINGITANUS. *Linn. syst. pag.* 487.

Lathyrus pedunculis bifloris; cirrhis diphyllis; foliolis alternis lanceolatis. *Roy. prodr.* 7. *pag.* 363.

Lathyrus tingitanus, siliquis orobi, flore amplo ruberrimo. *Moris. hist.* 2. *pag.* 55. *s.* 2. *t.* 3. *f.* 1.

Planta glaberrima & annua, primo vere sub dio sata floret & vegetat. Caulis ramosus utrinque in marginem tenuem acutumque excurrit. Petioli angulati sustinent duo foliola lanceolata, subtus nervosa, brevissime petiolata, opposita aut alternatim, terminanturque in cirrhos bifidos, trifidos simplicesve. Stipulae sunt lanceolatae & acuminatae, basique in similem articulam, sed multo minorem, deorsum producuntur. Pedunculi plerumque sunt biflori, quos tamen etiam uno floros observavi eodem in individuo omnes. Calyx sub vexillo purpurascit. Corolla modora elegantissime ex purpureo ruber, vexilli disculus inferior saturatissime. Carina alis concavis brevior est multoque angustior. Legumen fuscescens ad seminia torosum leviterque compressum sex septemve semina continet, vix angulata & ex fusco atroque varia.

TABULA QUADRAGESIMA SEPTIMA.

LACTUCA TUBEROSA

Sub titulo Lactucae cretae tuberosae accepi hanc plantam seminis. Synonymon non reperio. Lacte candido, ad aerem aurantiaco, turget tota, vel adeo in calvariis, ut exhis, etiam non ruditer attactis, lacte guttatim exsudet. Radix perennis in crura oblonga dispescitur, foris fusca, albicanta intus. Altero aetatis anno caulem unicum emittit, tertio duos. Folia sunt spinoso-dentata, infima integra, superiora sinuato pinnatifida. Atque tatem altero aetatis anno florentem tabula plantam exhibet. Tertio autem anno caulis alter erat foliis omnibus integris; alter depictis similis quoad folia inferiora, at in hoc caulis erant integerrima; caulis medius elongatus solitario flore terminabatur, auctus ramis axillaribus tribus pauciforis. Folia radicalia quotannis proveniunt obverse lanceolata aut spatulata, ut adeo foliorum suorum figura valde ludat planta. Haec in hybernaculo, in quo hyemem agit, jam hyeme provenunt, pereuntque proximo vere, cum caulis in conspectum prodit. Flores brevibus crassisque pedunculis insistunt; corollis ex caeruleo dilute purpurascentibus. Semen nigrum, nitidum, planum, superne breviter acuminatum, instruitur pappo stipitato.

TABULA QUADRAGESIMA OCTAVA.

FORSKOELEA TENACISSIMA. *Linn. syst. pag.* 321. *mant.* 72.

Chamaedrifolia tomentosa mascatensis. *Pluk. alm.* 97. *t.* 275. *f.* 6. *Shaw. afr. num.* 53.

Ex radice fibrosa & annua caulis assurgit unicus, teres, pedalis vel sesquipedalis, totus ramosus, partim rubens, partim dilute virens, punctis adspersus sanguineis, pilis albis hispidus, erectus. Folia sunt alterna, ovata, basi integra, laxe serrata, acuta, palidissime virentia, margine pilis brevibus ciliata, utrinque pilis brevissimis vestita, in dorso re-

rectis, hinc ibidem scabra, in facie apice in uncum acutissimum incurvatis, hinc adhærentia digitis tangentibus vestibusque. Petioli rubesci, teretes hispidique folia sunt breviores. Flores axilares gemini bractea suffulciuntur singula lanceolata acuminata hirsutaque. Inter utrumque florem novus ramus ex ala folii egreditur, unde tunc ila divergentes ad latera rami conspiciuntur. Calycem in pluribus meis plantis semper vidi pentaphyllum. Florem, uti notavit celeberrimus Linnæus, omnino extraneu difficilem invenit, imprimis propter lanam contentam, ex qua successive stamina exsiliunt. Hinc est, quod in systemate sexuali huic plantæ adignari suus cuiusque locus ægre potest. Calycis plana & inæqualia latitudine foliola basi atque lateribus hirsutissima sunt. Flores sunt compressi. Filamenta jam extricata invenio longitudine pistilli calycis. Styli sunt toti hirsutissimi. Petala sæpius numeravi octo. Totus flos persistens cum seminibus maturis decidit, sicque seri potest, quem difficulter semina examinantur. Floret in caldariis a Junio ad Septembrem. Ad latus depictæ plantæ mediæ ætatis & nedum valde ramosæ adstant ad duplum auctus flos integer, in quo calyx solus conspici potest, tum foliolum singulare calycis, tandemque calyce avulsa lana, quam circumdant octo petala, & ex qua egressi spectantur styli quinque, staminaque evoluta tria.

TABULA QUADRAGESIMA NONA.

DRYPIS SPINOSA. *Linn. syst. pag.* 221.

Drypis italica aculeata, floribus albis umbellatis compactis. *Mich. gen.* 24. *tab.* 23.

Drypis Theophrasti Angulatæ. *Lob. ic.* 789.

Spina alba, folia vicina. *Bauh. pin.* 388.

Carduus foliis tenuibus spinosis, adinstar Juniperi. *Moris. hist.* 3. *pag.* 161. *s.* 7. *t.* 32. *f.* 8.

Apud Samnites per Sulmonensem tractum multis in locis hanc plantam nasci, dicit Michelius, tum etiam apud Marsinos, a quibus herba asinina vocatur eo, quod illam libenter asini depascant. Semina ex Litorali Austriaco ante plures annos in hortum inculti amicissimus Mygindius, S. C. R & A. Maiestatis in commercio a consiliis aulicis, ex quo tempore ibidem laete vegetavit, hyemem in hybernaculo transigens. Descriptionem olim a me datam reperam, ut habeatur iconi adjuncta. Michelii certe figura tam erecta cum nostro nullo individuo congruit, nec congruere illam magis cum sylvestribus a se visis asserit moco laudatus vir amplissimus. Ibi enim & in horto nostro diffusissima est planta, ramis inordinatissime densequemutuo amplexis, nunquam nisi in ultimis florentibus ramulis erecta. Nec multo aptior est aliorum figura. Unicum ejusmodi ramulum repræsentari curavi cum addicis in magnitudine naturali pistilio, petalo, calyce, capitula & semine. Nata ex seminibus altero demum ætatis anno flores profert. Hyeme arescens tota, emori videtur, at adsequente vere, veluti revivescens, ex aridis ramis numerosos ramulos novos lateque virentes promit; in decimum jam hoc annum perennans. Insipida & inodora est. Rami plurimi, diffusi procumbunt. Extremi florentes erigunturque. Suntque ad folia articulati, subquadrangulares, in latere axilias foliorum inferiorum spectante utrinque sulcati, extremi floriferi dichotomi. Componuntur ex cortice fragili & ex medulla filiformi & tenaci. Folia sunt subulata, mucronata, pungentia, nitida, opposita, dorso convexa, antice sulco levissimo exarata, per stentia, alternatim mutuo decussantia, inferiora integerrima; superiora ad basin latiora planiora & oris ciliato-spinosis. Flores sessiles vel brevissime pedunculati in densa dichotomia disponuntur, quæ pro varia ramulorum productione magis est minusve conspicua. Calyx compressus viret. Petala ex carneo albescunt. Antheræ cæruleascunt. Semina flavent. Floret æstate.

TABULA QUINQUAGESIMA.

ALSTROEMERIA PELEGRINA. *Linn. syst. pag* 249. *amœn. acad. vol.* 6. *pag.* 247.

Hemerocalis floribus purpurascentibus maculatis. *Feuill. tom.* 2 *pag.* 711. *tab.* 5.

Spectosam stirpem primus in tuemur o Peru ano [illegible] referit, exhibentque delineatam, quam crescere sponte, ait, in monte quodam in milliaris ab urbe Lima distantia sito. In Amœnitatibus Academicis celeberrimi Linnæi prolixa ejusdem historia legitur, cum additis Feuilleanis in latinam linguam versa. Quare descriptione superfedeo. In horto nostro ex seminibus a Linnæo mecum communicatis jam ab octo annis vigent, habitu non plane simili Linnæanæ atque Feuilleanæ figuris etiam inter se parum discrepantibus. Apud nos caules fuerunt sesquipedales, qui in extremitate flores paucos nutantes tulere. Radicis longa tubera, dum ad ollæ fundum pertangunt, ibidem infectuntur; ac istiusmodi quædam in icone listuntur. Hyemem in avbernaculo, media æstate in agit sub dio. Floret Julio.

TABULA QUINQUAGESIMA PRIMA.

CHEROPHYLLUM COLORATUM. *Linn. syst. pag* 214.

Myrrhis lutea dulcordes. *Morris hist.* 3. *p.* 302. *s.* 9. *t.* 10. *f.* 6

Radix, fusiformis, foris flavescens, intus alba, odore & sapore aliquo Dauci Carotæ præditus, altero ætatis anno caulem emisit teretem, ramosum, vix striatum, pilis albidis inferne crebrioribus adspersum, & post fructum datum perit. Folia sunt supradecomposita, infima hirsuta, mandis mediis, summa nuda; foliolis ultimis lanceolatis. Vaginæ membranaceæ. Umbellæ compositæ plane involucrum universale habent nullum. Radii nudi ex viridi flavescunt. Partiales umbellæ sunt convexulæ, habentque involucella, quæ constant foliolis circiter octo, ovatis, acuminatis, patentissimis, corolliqueconcoloribus, nisi quod media sui parte magis virent. Petala sunt cordata & lutea. Fructus oblongus, teres, nudus, obtusus. Semina striata, fuscis fascis, marginibus quatuor elevatis coloris straminei, saporis ingrati nec aceris. Floret Majo & Junio. Icon additant fructus & corolla in nativa magnitudine. Illyriam pro patria Linnæus assignat.

TABULA QUINQUAGESIMA SECUNDA.

SESELI AMMOIDES. *Linn. syst. pag* 215.

Fœniculum lusitanicum, minimum, acre. *Tourn. inst.* 312.

Saxifraga parva annua acris, midefolio terrestris folio tenuissimo. *Morris hist* 3. *pag.* 273.

Ammiodes. *Bauh. pin.* 159.

Tota planta tenuissima. Radix annua albicat. Caulis est erectus, teres, vix striatus, & sesquipedalis. Folia sunt bipinnato-multifida, radicalia & infima magis oblonga, cujusmodi ad latus depictum adstat, reliqua circumscriptione magis subrotunda foliolis acuminatis, planis, linearibus, apiceque patentibus; interdum multo quam in icone angustioribus vereque setaceis. Vaginæ foliorum sunt æquales, nec habent membranam extantem. Involucri utriusque foliola sunt linearia, acuminata, longitudine valde inæqualia. Petala

sunt

sunt alba & cordata propter apicem ad basin usque antrorsum inflexam. Antheræ purpureæ. Semina parva sapore acri prædita. Fructum seorsim addendum curavi, cum in naturali statu, tum leate auctum

TABULA QUINQUAGESIMA TERTIA.

TORDYLIUM APULUM. *Linn. syst. pag.* 204
Tordylium apulum maximum. *Col. ecphr.* 1. *p.* 122. *t.* 124. *Moris. hist.* 3 *p.* 316 *s.* 9 *t.* 16 *f.* 6.
Seseli creticum maximum. *Bauh. pin.* 161.

Planta [illegible] sesquipedalis & annua. Folia radicalia in orbem sita atque decumbentia [illegible] pinnata, quale [illegible] tabula seorsim exhibet, costa tereti. Folia caulina [illegible] magis oblonga, obtusa, laciniata & obtuse dentata, magis minusve pubescentia [illegible] bipinnata, opposita, trita inter digitos haud grate odorata, quatuor parva cum impari. Foliola caulina sunt glabra & acuta. Vaginæ striatæ, amplexantes, pilosæ. Caules plures, tereres, erecti, striati, ramosi, pilis præprimis inferne vestiuntur albis decumbentibus. Involucri foliola sunt setacea. Radii umbellæ universalis sex aut paulo plures, ab [illegible] remoti, patent. Flores omnes sunt fertiles. Petala alba, lato-lanceolata & acuta [illegible] incurvantur, ut hinc cordata evadant extimo in floscullis umbellæ exterioribus [illegible] bifido, laciniis lanceolatis. Antheræ ex flavo virentes fuscescunt lateraliter. Styli breves albent. Semen interne rubescit, & hinc atque inde depictum fistitur. Sylvestris planta magis est mirata quam culta. Floret Julio & Augusto.

TABULA QUINQUAGESIMA QUARTA.

TORDYLIUM SYRIACUM. *Linn. syst. pag.* 204
Tordylium syriacum humilius, semine granulato majore. *Moris. hist.* 3 *p.* 317 *s.* 9. *t.* 16. *f.* 7.
Cingidium folius Bauciæ Syriacum. *Lob. ic.* 725
Cingidium folius Pastinacæ inuscliæ. *Bauh. pin.* 151.

Radix annua est. Folia radicalia pinnata incisis brevissimis vestiuntur. Caules teres simulque angulosus, palmum unum alterumve altus, fructuum pondere terram versus debilis inclinatus. Folia [illegible] pinnata ex foliolis obtusis, crenato-incisis, infima & summa ex [illegible] aliquibus constans. Umbellæ universalis radii plerumque seni, alterni multo longiores fruque exteriores, proprio involucri folio suffulciuntur singuli. Umbellulis partialibus involucrum est triphyllum, extrorsum patens longumque, in fructibus adhuc magis increscens, eosque tunc amplexando involvens. Flores in qualibet umbellula sunt pauci, partim fertiles, partim brevissime pedunculati. Petala alba, inæqualia, cordata, reflexa lateribus. Filamenta alba. Antheræ fuscæ. Semina magna, quæ utrinque conspecta proponuntur, una cum flosculo germine jam increscente. Sub dio florent Junio & Julio.

TABULA QUINQUAGESIMA QUINTA.

GERANIUM MOSCHATUM. *Linn. syst. pag.* 454. *mat. med. num.* 337. *Burm ger. num.* 29

Geranium petiolis multifloris, caule diffuso, foliis ovatis pinnatifidis. *Hall. hist. helv. num.* 945.

Geranium cicutæ folio erectum Romanum. *Bocc. mus. part.* 2. *pag.* 93. *tab.* 82

Geranium cicutæ folio moschatum. *Bauh. pin.* 319.

Planta est annua & ramosa. Caules sunt teretes, hirsuti, subglutinosi, erecti quidem, sed debiles, & qui ægre sustentent sese soli, herbacei tori, pedales. Stipulæ sunt ovatæ, membranaceæ albidæ & tenues. Folia pinnata cum impari leviterque glutinosa putescunt. Foliola sunt ovata, magis minusve serrato-incisa, subsessilia, alterna vel opposita, extrema sæpe confluentia. Pedunculi communes hirsuti, qui ultra folia elongantur in fructescente planta, umbelatim licant paucos flores. His calyx est hirsutus, glutinosus, striatus & breviter aristatus. Petala oblonga & integerrima ex purpureo nitent. Filamenta sunt inter se distinctissima, nec connata. Horum quinque gerunt antheras violaceas polline flavo, cui quinque augentur utrinque lamellula. Stigmata quinque oblonga patent. Primo quidem intuitu hæc planta dignoscitur a Geranio cicutario, at vero hæc discriminis ratio verbis difficilime exprimitur. Odore distinguuntur certe metus, qui in Geranio moschato moschum spirat valde, in cicutario fœtidus est. Cotyledones in illo semper sunt pinnatifidæ, uti jam monuit Auctoris Linnæus; & quibus adhucdum instructa teneda plantula in tabula exhibetur. Cicutarii cotyledones sunt cordatæ, semitrilobæ & obtusissimæ. Nunquam in horto nostro Geranium moschatum tam tenuiter dissecta folia habet, qualia in icone Bocconiana deprehendunt.

TABULA QUINQUAGESIMA SEXTA.

SIDA UMBELLATA. *Linn. syst. pag* 458. *amœn. acad.* 5. *p.* 401.

Frutex erectus, decempedalis, debilis, ramis elongatis, jam primo ætatis anno floret. Cortex trunci est cinereus & glaber. Rami virent; juniores pilis rectis raris mollibusque vestiuntur. Folia sunt cordata, obtusissime serrata, utrinque obsolete tomentosa, acuta, virentia, rarissime subtilobata petiolis teretibus pilosisque. Stipulæ lanceolatæ, integræ, acutæ & pilosæ. Pedunculi tenues, solitarii, axillares & terminales umbellatim flores numero diverso sustinent. Calyx est campanulatus. Petala saturate lutea. Capsula pentamque sexlocularis loculis dispermis vel trispermis; valvulis bicornibus. Semina fusca & angulata. In caldario colitur, Americæ torridæ incola.

TABULA QUINQUAGESIMA SEPTIMA.

CAMPANULA CARPATICA.

In alpibus Carpaticis comitatus Scepusiensis crescentem hanc nedum descriptam Campanulæ speciem primus detexit clarissimus Franciscus Josephus Lipp. Læsa hic candidum fundit. Radix illi est fibrosa, albicans & perennis. Caules herbacei, annui, debiles, parum vel nullatenus ramosi, hirsuti vel glaberrimi, aut unicum aut paucissimos flores sustinent; atque etiam ita variant in loco natali. Sylvestri simillimam plantam tabula habet, ex semi-

nibus in horto enatam primi anni. Sequentibus vero annis evasit multiramosa & multiflora, ut una planta quinquaginta flores protulerit, habitu tamen reliquo donata semper eodem. Folia radicalia fere ex reniformi suborotunda. Caulina cordata, petiolata, nuda, inæqualiter serrata, serraturis undulatis & obtusis cum acumine. Pedunculus elongatus glaberque sustinet florem, cui est petalum amplum, cæruleum, patentissimum, glabrum superumque. Calycis etiam nudi foliola sunt lanceolata, superne serrata aut integerrima, & acuminata. Nectarium villosum. Stigmatis laciniæ crassæ, magnæ, superne sulcatæ, subtus villosæ. Capsula est oblonga, glabra, trisulcata, angulis obtusis & lineatis, triocularis. Semina oblonga. Floret totam æstatem. Fructus & folium radicale depicta cernuntur ad latus.

TABULA QUINQUAGESIMA OCTAVA.

ANASTATICA HIEROCHUNTICA. *Linn. syst. pag.* 431.
Tragi Rosa de Hiericho dictam. *Moris. hist.* 2. *p.* 328 *f.* 3. *t.* 25. *f.* 2 & 3.
Rosa hierichuntica. *Cam. hort. pag.* 147. *tab.* 41. *Besl. Eyst. autumn.* O. 4 *fol.* 1. *fig.* 2. & 3.
Rosa hierichuntica vulgo dicta. *Bauh. pin.* 484.

In horti caldario sata, floret Junio & Julio, semina perficit Augusto, autumno perit; nec unquam in tantum volumen excrevit, formamque tandem adeo congloboram assumpsit cujusmodi sunt illa plantæ exempla, quæ passim in Europæis rerum exoticarum collectionibus occurrant. Linnæanus generis character, ad hanc speciem concinnatus, exacte huic respondet; sed excludit speciem alteram propter siliculæ auriculas in eadem decrescentes. Tota plantula levissime villosa & scabriuscula est. Folia obverse ovata vel lanceolata in petiolum paulatim angustantur, nunc integerrima, nunc inæqualiter dentata, pallide virentia. Flores alii in axillis foliorum solitarii; alii in racemulis ibidem disposita, omnes brevissime pedunculati. Petala nivea. Seorsim in tabula exhibentur fructus integer; dissepimentum cum loculamento; valvula cum auricula & loculamenti pariete externo; semen.

TABULA QUINQUAGESIMA NONA.

CUCUBALUS CATHOLICUS. *Linn. syst.* 309. *sp. pl. num.* 10. *a. pag.* 593.
Silene foliis ovatis utrinque acutis, caule paniculato, floribus nutantibus tenuissimis. *Royen. prodr.* 447.
Lychnis viscosa aurissiana, flore muscoso, ocymastri facie. *Cup. cath.* 110

Radix perennis quotannis plures caules emittit teretes, viscosos, suberectos, dodecies, tripedales, paniculatos, diffusos, subdichotomos, interne villosos, floribusque numerosis onustos. Folia sunt lanceolata, sessilia, integra, acuta, scabra, subvillosa, pleraque prius minus revoluta. Pedunculi communes ultimi sunt subumbellati. Flores de die æque ac de nocte explicantur. Calyx glaber purpurascit. Petalorum alborum limbi profunde bifidi patent. Filamenta corollæ æqualia gerunt antheras sulphureas. Cluna nostrum sub dio optime fert, & floret a Junio ad Novembrem. Non videtur mihi ad hanc speciem ceu varietas referri posse Dillenianam Lychnis nocturnam non viscosa herbaceo flore.

TABULA SEXAGESIMA.

TRIFOLIUM SUFFOCATUM. *Linn. mant. part.* 2.

Radix annua caules plures procumbentes emittit. Foliola sunt obovata, obtusa, leviter dentata & glabra. Petioli longi ex media stipula binata & setacea egrediuntur. In alis foliorum flores sedent dense conglomerati. Calyces semiquinquefidi virent, laciniis æqualibus, rigidulis & patulis. Corollæ, calyce ferme duplo breviores, lacerato calyce in conspectum se offerunt, suomembranaceæ, excolores, subpellucidæque petalis distinctis, erectis omnibus conniventibusque, tenerrimis, eo exiguam molem vix microscopio rite distinguendis; vexillo paulo longiori; alis longe unguiculatis. Monoecies auctam corollam cum calyce & pistillo in tabula apposui. Filamenta centina plura vidi, sed non potui extricare, ut recte proponerem. Legumen oblongum & dispermum non superat calycem. Floret totam æstatem sub dio.

TABULA SEXAGESIMA PRIMA.

SELINUM SEGUIERI.

Ligusticum aquaticum perenne, ferulæ folio, floribus albis. *Seguier. ver.* 2. *p.* 41. *t.* 13.

Tota planta glaberrima est. Caulis ramique teretes pallide virent, ac medulla alba & subodorata farciuntur. Rami inferne vix, superne leviter sunt striati; quidam etiam, nec usque, in parte dorso folii subjecta in angulum longitudinalem tactu percipiendum elevantur. Caulis vero totus evidentius est striatus, bari pollicem crassus, & tres circiter pedes longus. Ad ipsam jam terræ superficiem ex subradicalium foliorum alis rami exsurgunt subverticillatim in uno ambitu plures, a septem ad decem. Totidem igitur caulem etiam ambiunt ibidem folia. Ex subsequentium foliorum alis iterum aut rami oriuntur, atque sic porro ad summa caulis folia usque, semper adscendendo ad distantias maiores. Sicque egressos de caule principe ramos triginta numeravi. Et ipsi hi rami denuo ramosi sunt; ramulique aut alterni, aut oppositi, aut plerumque numero incerto verticillati, ut a terno viderim ad senos: unde de ramorum in hac planta multitudine judicium ferri potest. Et caulis & rami erigantur. Quilibet ramus ex folii ala prodit solitarius, adeoque folia numerum sitamque ramorum habent. In caule solo rami florentes caulem superiores producuntur ultra umbellam caulis terminatricem, atque evadunt. In ramis vero omnibus contrarium evenit, manetque umbella princeps media semper elatior. Folia radicalia & infima sesquipedalia amplaque ex petiolo longo, lato, semiamplexicaule, nec vaginante, crasso nudisque membranis aucto, in ramos subteretes striatos & antrorsum sulcatos subdivisio, per divisionem supradecompositam adeunt in foliola ex angusto lanceolata, apice mucrone albido & innocuo terminata, tres quatuorve lineas longa, & planiuscula. Superiora folia eadem sunt, nisi quod decrescant divisione. Sic majus in icone exhibitum folium integrum potest considerari tanquam foliolum ex costa primaria egressum alterum in folio radicali, ex qua costæ laterales quinque emitti debent. Umbellæ universales sunt planæ & densæ, partiales magis convexæ. Involucrum universale aut plane nullum adest, aut sub forma foliolii unius alterusve fabulati conspicitur. Aut vidi etiam illius loco foliolum pinnatifidum aut & bipinnatum. Partiale semper adest polyphyllum ex foliolis subulatis & umbellula duplo brevioribus. Flores parvi albique odore haud ingrato polleant, omnes fertiles. Petala subæqualia & ex ovato acuminata, apice ultra medietatem antrorsum inflexo, figuram cordatam assumunt. Styli albi longitudine petalorum patent. Stigmata simplicissima sunt. Filamenta alba corollam ad duplum superant, patula & caduca. Antheræ bi-

fi.

lidæ flavescunt pallide. Germen subrotundum, leviter compressum & sulcatum abit in fructum subrotundo-ovatum, nitidum pistillisque reflexis coronatum; constantem ex seminibus hinc convexis & tri- vel quadrisulcatis, inde planis; angulis membranaceis. Primo vere sata sub dio planta germinavit, ac tertio demum ætatis anno floruit sub finem Junii & Julio mense, Septembri matura semina dedit. In Saxonis montis Baldi jugis detectam celeberrimus Seguierus descripsit, docuitque, jam sub titulo Mei adulterini rhizotomis Veronensibus notam fuisse. Et ejusdem Botanici descriptio quadrat non minus in plantam nostram culcam, cujus figura ne tamen careret descriptione sua, hanc ad culcam factam adjunxi. Tabula exhibet rami principalioris summitatem, cum flore lente aucto, semineque etiam aucto eodemque naturali in magnitudine. In systemate suo illustris Linnæus hanc plantam suspicatus est esse eandem cum Selino Carvifolia suo, cujus figuram inter stirpes Austriacas edendas tabula decima sexta exhibebit. Nimirupere duæ hæ plantæ ab invicem distant quam ut conjungi possint.

TABULA SEXAGESIMA SECUNDA.

SELINUM MONNIERI. *Linn. syst. pag.* 207. *Amœn. acad.* 4. *pag.* 269

Planta annua floret suo dio Julio & Augusto. Septembri semina maturescunt. Radix & folia trita aut masticata Dauci aliquem saporem odoremque habent. Caulis sesquipedalis aut altior, glaber, ramosus & angulatus, inferne ruber. Rami superiores tandem cum caulibus evadunt. Folia simili modo jungunturur cum foliis Æthusæ, sed foliola tenuiora reddunturur. Sunt glabra, bipinnata, foliolis profunde pinnatifidis; segmentis oblongis, subacutis, planis. Petioli communis margines in membranam attenuantur. Pedunculi striati, teretes & erecti. Involucra setacea, universalia patent aut reflectuntur, foliolis numero varius ab octo ad unicum partecularium foliolis semper planibus, patulis, exterioribus longitudine umbellæ. Umbellæ universalis parum convexa, vix densa. Partialis simplex. Flores albi, petalis ovato-lanceolatis, æqualibus, apice introrsum incurvato, hinc cordatis. Styli patentissimi persistunt. Semina glabra, parva, ovata, hinc plana, illinc convexa & quadrisulcata, marginibus inter sulcos membranaceis, sapore gaudent in principio subaromatico, sed postea acri ac pungente. Ad latus plantæ auctus tenue flos conspicitur, tum etiam semen utrinque; idemque non auctum.

TABULA SEXAGESIMA TERTIA.

FERRARIA UNDULATA. *Linn. syst. pag.* 597. *Mill. ic.* 280
Ferraria foliis nervosis. *Epis. nat. cur.* 1761. *pag.* 199. *t.* 3. *f.* 1.
Iris stellata, cyclamineis radice, pullo flore. *Barr. p.* 791 *ic.* 1216.
Narcissus indicus, flore saturate purpureo. *Rudb. el.* 2. *p.* 49. *f.* 9.
Flos indicus e violaceo fuscus, radice tuberosa. *Ferr. cult.* 168. *t.* 171. *Moris hist.* 2 *p.* 344. *f.* 4. *t.* 4 *f.* 7.

Quamvis elegans hæc planta jam delineata descriptaque sit a pluribus, non tamen omnibus, quibus, hic tamen videntur, si cum modo citatis comparantur. Potest etiam in descriptionibus adhuc aliquid desiderari, quandoquidem ne generis quidem character, a Linnæo datus, flori in totum respondeat. Quin imo ex principiis assumptis apud eundem auctorem in aliam longe classem translocanda veniret, scilicet in Monadelphiam novo ordine triandriam. Facies plantæ singularis est. Pro radice ruber est solidum, subrotundum com-

 pres-

pressumque, fibriliam unam alteramve crassam terræ immittens. Caules plures, sesquipedales, teri foliosi, teretes simulque parum compressi, subflexuosi, superne ex alis ramosi, pallide virent. Hisce concoloria folia sunt ensiformia, amplexicaulia, distichia, striata, firma, alterna; præterquam in partibus extremis, ubi sunt integra, canaliculata marginibus arcte conniventibus; a caule secedunt; longitudinalem in gibbum in media utrinque parte attolluntur. Inferiora sunt acuta, superiora obtusa. Oræ divisæ tenuiores albicant. Sesquipedalia inferiora adeo divergunt, ut apicibus suis sæpe ad duos pedes distent ab invicem. Ultima ramulorum, valde abbreviata, in spathas convolutas efformantur, quæ singulæ duos flores eodem loco juxta invicem exortos continent, alterum nudum primo florente, alterum propria iterum spatha magis tenera atque membranacea comprehensum. Pedunculi paulatim increscunt, floresque extra spatham exteriorem facce sive elevant, tunc expandendos. Corollæ florent, circa vesperam contractæ claudunturque, marcescunt, unaque brevi cum contentis de germine sponte decidunt. Tubi papillosæ magis fractæ chartam eleganti cærulco colore tingunt. Petala supera, basi erecta simul efficiunt tubum campanularem. Hinc patent [illegible] Ex flavo pallent, maculis punctisque variegata fuligineis, & oram [illegible] eam valde crispatam fimbriatamque. Hoc colore constanti omnia sunt nostra individua. Alterna autem petala sunt duplo reliquis angustiora, nec tamen breviora. Filamenta tria, superne distincta, in unum sunt tubum cylindraceum connata, germini impositum, corolla duplo breviorem, erectum, albumque cum punctis linearibus fuscis. Antheræ subovatæ, magnæ, fuscæ, dadymæque filamentis incumbunt, post pollinem fulvum explosum contractæ & quadruplo minores. Germen oblongum, triquetrum, obtusum inferumque tres longitudine unciæ partes æquat. Stylus filiformis longitudinem habet tubi filamentorum, cui ceu vaginæ includitur. Stigmata tria profunde bifida patent: lacinias oblongas, planas, ex purpureo fuscis, in cuta ex fusco flavoque variegata abeuntibus. Capsula oblonga, glabra, trilocularis, trivalvis & polysperma continet semina subrotunda cum adhærente pulpa rufa. Sub dio floret æstate, hyememque radix toleratur fimo bene custodita. In caldariis etiam colitur. In tabula ad latus adstant magnitudine nativa pistillum pedunculo insidens, stamina, stigma expansum, ut divisio appareat; capsula, semen nudum; idemque pulpæ suæ involutum.

TABULA SEXAGESIMA QUARTA.

CENTAUREA SALMANTICA. *Linn. syst. pag.* 575.

Jacea minor, foliis cichoraceis mollibus, flore stamineo. *Moris. hist.* 3. *p.* 140 *s.* 7. *t.* 26 *f.* 14.

Jacea major, foliis cichoraceis mollibus lanuginosis. *Bauh. pin.* 273.

Scabiosa salmantica prima. *Clus. hist.* IX.

Radix perennis & interdum [illegible] hibernaculo degit. Caules ramosissimi, quinquepedales, foliosi, teretes, inferne striati, superne nudi, erigunturque. Folia sunt dentata, acuta, longa, scabra, pilis albis utrinque obsita, atrovirentia, radicalia sæpius pinnatifido-laciniata, petiolis nervoque medio subtus pilosolanatis, caulina oblonga aut lanceolata, sessilia, summa glaberrima. Flores solitarii ramos elongatos terminant, corollis antheris stylisque niveis, corollulis extimis sæpe suffusis modica rubedine; aut corollis omnimode rubentibus. Atque hæc coloris diversitas plerumque obtinet in distinctis individuis; interdum etiam in eodem. Corollulæ radiales aliquot, nec tamen semper omnes, sunt quadrifidæ, reliquæ quinquefidæ. Calyces nudissimi ovarique squamæ terminantur spinula simplicissima & patentissima. Semina sunt nuda, fusca, substriata, apice ingricantia. Folium caulinum inferius adpingitur

TA-

TABULA SEXAGESIMA QUINTA.

MALVA ÆGYPTIACA. *Linn. syst. pag.* 461. *sp. pl. pag.* 471.
Alcæa ægyptia, geranii folio. *Lapp. ægypt. msf.*

Planta vix pedalis, herbacea, erecta; caule ramisque teretibus & scabris. Stipulæ sunt ovato-acuminatæ ac entiræ. Folia palmato-multifida, profunde subquinquefida, subtus subaspera, facie glabra, subcinerea, petiolis scabris. Pedunculi unifiori, axillares, solitarii, scabri, quibus superioribus loco folii supponitur stipula tripartita, laciniis lanceolatis. Calycem exteriorem constituunt setæ tres vel pauciores, a calyce interiore ortu tantisper remotæ. Interior ultra medium quinquefidus & pentagonus est laxus, in flore subovatus, [illegible] laciniis semiovatis & acuminatis. Petala oblonga, vix emarginata, apice serrulata, parva, carnei coloris, calycem longitudine vix superant. Antheræ sunt co[illegible] Hæc, nisi summas sic in caldario æstas, non explicatur, at calyce clausum [illegible] secundatio. Sub dio, ubi etiam planta vegetat, expansam nudam vidi. Ari[illegible] situati, circiter duodeni.

TABULA SEXAGESIMA SEXTA.

PHASEOLUS INAMOENUS. *Linn. syst. pag.* 481.
Phaseolus floribus vexillo revoluto, calycibus concoloribus. *Linn. hort. Cliff. pag.* 359.

Tota planta glabra est. Radix annua. Caulis volubilis, subangulatus & decempedalis. Folia [illegible] ovata, [illegible] lanceolata in acumen attenuatur, in parte caulis inferiore sem pedale, aut longius. Laterali sunt ut plurimum breviora, basi interna quam externa duplo ut plurimum latiora. Racemi axillares pedunculatos ternos eodem loco ortos gerunt plures. Flores indigantes, vexillo concavo reflexo virente, alis oblongis obtusis concavis, carinaque cum spiraliter intorta albentibus. Legumen oblongum, compressum acuminatumque dorso est arcuatum. Semina pauca, reniformia, compresso-plana, in amoenum sunt sanguinea, inferiore parte & media alba cum punctis sanguineis; hilo albo. Color [illegible] in recentibus seminibus est coccineus. Sub dio apud nos bene vegetat, [illegible] & [illegible] maturescit quæ in caldariis certius perficitur, dum ibidem non [illegible] flores [illegible] Africana, teste Linnæo, patria habet.

TABULA SEXAGESIMA SEPTIMA.

DOLICHOS SESQUIPEDALIS. *Linn. syst. pag.* 482. *spec. pl.* 1019.

Annua planta, in caldario culta, floret Julio, & semina largitur Augusto. Tota glabra est. Stipulæ ad exortum petiolorum communium sunt laxo-lanceolatæ & acuminatæ, basique elongantur in appendicem linearem-lanceolatam. Quæ vero sunt ad exortum petiolorum particularium, subovatam convexamque figuram habent. Foliola sunt ovata, [illegible] etiam oblonga & elongata, ut in Phaseolo inamœno. Pedunculi axillares, solitarii & solitariam gerunt in extremitate paucos flores sessiles & inodoros. Calyces pallide virentes [illegible] sunt acuminatæ, superiore [illegible] Corollæ vexillum & alæ ex purpureo extra coeruleo concolores, interdum etiam [illegible] In alio calli sunt valde manifesti. Carina albida tumet. Legumina parum compressa, angusta, plus minus sesquipedalia, albida, tenuiter membranacea nec rigida, rugosa, apiceque in incurvum mucronem desinente,

continent semina reniformia oblonga, fuscata, hilo albido cum circulo nigro. Americanæ est originis.

TABULA SEXAGESIMA OCTAVA.

SALSOLA SODA. *Lam. fyst. pag.* 196.
Soda: kali magnum, sedi medii folio, semine cochleato. *Lob. ic.* 394.
Kali. *Dod pempt.* 1. *l.* 3. *c.* 30
Kali maius cochleato semine. *Bauh. pin.* 289.

In maritimis maris mediterraneo adjacentibus Europæ regionibus nascitur. In horto optime subsidio, & sponte etiam quotannis de seminibus decidentibus provenit. Planta [illegible], nitida, pedalis. Caulis firmus & teres ornatur totus ramis teretibus oppositis patentibus. Folia sunt subulata, dorso teretia leviterque sulcata, facie plana & levissime trisulcata, sulcis lateralibus ad extremitatem folii non pertingentibus, (quæ singuli sulci in foliis ad lucem oppositam conspectis forma lineolarum albarum apparent, ceterum vix animadvertendi,) succulenta, obtusa cum spinula innocua terminante, in caulis ramorumque inferiore parte opposita, in eorundem summitatibus alterna, longiora quadripollicaria. Flores foliorum insident axillis foliorum, stipati utrinque foliolo laterali minimo. Calyx membranaceus clausus, (nam nunquam florem expansum videre contigit,) ovatus & [illegible] cum foliorum dorso virente. Filamenta alba, ad calycis duplam longitudinem exerta, inseruntur receptaculo nec calyci. Antheræ oblongæ basique bifidæ erigantur, ac flavescunt. Germen ovatum abit in stylum semibifidum & stamina breviorem. Semen nigrum nitet. Floret Augusto, & perficit semina Octobri & Novembri. Depictus ad latus inferne fistitur flos recente auctus cum pistillo. Superne naturali magnitudine conspicuntur flos, calyx fructiger, capsula, & seminis nucleus spiraliter involutus, nam etiam nic præter capsulam propria membrana tenuissima, hic demptæ, circumdatur.

TABULA SEXAGESIMA NONA.

HYSSOPUS NEPETOIDES. *Lam. fyst. pag.* 390. *hort upsf* 163.
Nepeta caule acute quadrangulo glabro. *Gron. ver.* [illegible] *p.* [illegible] 88
Sideritis canadensis alta lanata, scrophulariæ folio, flore flavescente. *Tourn. inst.* 192
Betonica virginiana elatior, foliis scrophulariæ glabris, flore ochroleuco. *Moris h. f.* 3. *p.* 365 *f.* 11. *t.* 4. *f.* 11. *Pluk. amb.* 67. *t.* 150. *f.* 3.

Radix perennat, hiemique fundo perstat. Caules plures, annui, erecti quadrangulares, basi digitum crassi, acute membranaceo-tetragoni, & foliosi. Rami adscendentes. Folia ovata, inferiora basi cordata, acuminata, serrata, petiolata, opposita. Spicæ caulem ramosque terminant erectæ, teretes, longæ, ex verticillis plurimis fusiformibus mutuo impositis factæ. Bracteæ setiformes, cordatæ, acuminatæ, integræ. Calyx Hyssopi, sed obtusus & dentibus duobus inferioribus brevioribus. Corolla ochroleuca etiam Hyssopi, sed labii inferioris lacinia intermedia subrotunda crenata obtusissima integra, nec bifida. Stylus longitudine æquat stamina. Reliqua etiam cum Hyssopi Linnæano charactere congruunt. Tota planta glabra est, odoremque levem Lamii habet. Floret Augusto & Septembri.

TA-

TABULA SEPTUAGESIMA.

STACHYS MARITIMA *Linn. syst. pag.* 395. *mant.* 82.
Stachys verticillis sexfloris, foliis radicalibus ovalibus crenatis: summis ovatis integerrimis, corollis calyce duplo longioribus. *Gouan. flor. monsp. pag.* 91.
Betonica heraclea latifolia Dioscoridis. *Donat. ven.* 84. *Bocc. mus.* 2 *p.* 164. *t.* 127.
Stachys salviæ folio, maritima. *Alp. monsp.* 203.

Radix perennans. Caules sunt tetragoni, hirsuti, ramosi, basi adscendentes, mox erecti, annui. Folia oblonga, obtuse serrata, venosa, rugosa; radicalia & inferiora longe petiolata, superiora sessilia; rarissime cordata, ac plerumque basi attenuata; in culta planta levissime hirsuta, in silvestri subtomentosa; dorso vergentia ad flavedinem; petiolis hirsutis. Flores sunt [illegible] & in axilis [illegible] terna locantur [illegible] & sexquinquefidas in se [illegible] Corollæ tubus [illegible] superioris inæqualiter crenatum, obtusum, ovatum, basi convexum est, superne planum. Inferioris labii laciniæ interiores [illegible] lateralibus minores & emarginatæ in disco punctis purpureis adspergitur. Stamina [illegible] Semina [illegible] fusca, ovata, acuta, hinc gibba, illinc angulata. Flores [illegible] altero demum fatiscens anno, a Julio ad Novembrem. Radix in hyberniculo [illegible]

TABULA SEPTUAGESIMA PRIMA.

SIDEROXYLUM MELANOPHLEUM. *Linn. syst.* 178. *mant.* 48.
Palus foliis oblongis, fructu solitario. *Burm. afr.* 238. *t.* 84. *f.* 2.
Laurifolia africana. *Comm. hort.* 1 *p.* 195 *t.* 109.

A[illegible] Parte Labbo [illegible] Arbores [illegible] cortice [illegible] agro transmissæ Viennam sunt, ubi, avenem custodita in hyberniculo, sub dio floret quotannis Junio, sed fructum nondum tulit. Habitu ad Laurum nobilem accedit, etiam sempervirens. Lignum durum cortice fusco nitidoque vestitur. Folia sunt lanceolata, obtusa, integerrima, subundulata, coriacea saturate virentia, alterna. Petioli & ramorum juniores extremitates purpurascunt. Flores breviter pedunculati plures aggregatim insident axillis foliorum in ramulorum parte adulciore. Perianthium inferum, parvum, coloratumque in tres, quatuor vel quinque partes divisum. Corollæ tubus est brevissimus, limbi laciniæ quinque [illegible] filamenta quinque, omnium brevissima, [illegible] Antheræ [illegible] crassiusque pilis æquant laciniam corollæ. Germen [illegible] Stylus crassus & corolla brevior erigitur. Stigma est [illegible] Verisque [illegible] structura floris a charactere Sideroxyli. Totus flos coriaceus [illegible] indulto coloris saturate coriacei.

TABULA SEPTUAGESIMA SECUNDA.

LAVATERA TRIMESTRIS. *Linn. syst. pag.* 461.
Malva trimestris. *Cluf. hist.* XXIII.
Malva folio vario. *Bauh. pin.* 315.

Planta annua, radice alba crassaque, erecta, diffusa, sesquipedalis vel tripedalis. Caulis ramique sunt teretes, scabri, pilisque albis & reflexis hispidi. Folia sunt glabra, basi leviter cordata, obtuse serrata, & aut [illegible] nec ulla tenus angulata, aut ex adver-

fo pius minus triloba, interdum etiam ex subhastato oblonga, adeoque valde variantia. Petioli sunt hirsuti. Axillis foliorum insident pedunculi unifori. Floribus inodoris atque elegantibus petala sunt rosea & striata. Antheræ palent. Stigmata purpurascunt. Orbiculus aridos regit, uti patet ex adjecta fructus figura. Floret sub dio a Junio ad Novembrem.

TABULA SEPTUAGESIMA TERTIA.

LAVATERA OLBIA. *Linn. syst. pag.* 461.
Altæa frutescens, folio acuto, parvo flore. *Bauh. pin.* 316.
Althæa arborea Olbiæ in Galloprovincia. *Lob. ic.* 653.
Altæa frutescens, folio acuto virente molli, flore speciosa. *Pluk. alm.* 24. *phyt.* 8. *f.* 1.

Tertiadem a satione anno in horto nostro flores produxit, hyemem sempervirens in [illegible] quotannis transigens, ætatem sub dio. Lignosi fruticis formam induit, cauli superiori crassitie, altitudine humana. Majo & Junio floret. Semina porrigit Augusto. Rami teretes, superiores villosi. Folia sunt basi cordata, semiseptiloba, acuta, crenata, dorso villosa, facie tomento vix conspicuo molli; solo modo longius producto. Pedunculis brevioribus alaribus ac foliatis flores singulares insident, calycibus hirsutis & acuminatis. Petala purpurascentia cum striis saturatioribus ex unguibus oriuntur rubris. Flores amplissimi, elegantes & inodori. Antheræ sulphureæ. Stigmata rubra. In fundo corollæ conspicitur inter petalorum ungues lana alba densaque, quæ ex unguium lateribus enascitur. Tabula etiam exhibet fructum integrum calyce comprehensum, eundemque exemptum, tum receptaculum vacuum, aridum cum contento semine, semenque nudum.

TABULA SEPTUAGESIMA QUARTA.

LAVATERA TRILOBA. *Linn. syst. pag.* 461.
Altæa frutescens, folio rotundiore mucano. *Bauh. pin.* 316.
Althæa frutex, prima. *Chas. hist. XVII.*
Alcea fruticans hispanica, aceris monspessulani mucani folius, grandiflora, saponem sperans. *Pluk. alm.* 24. *t.* 8. *f.* 3.

Cæsa Oxidam in Valentino Hispaniæ regno hanc [illegible] Martio floventem Carolus Clusius detexit. In hybernaculis hyemem apud nos agens, perpetuoque virens, ætatem sub dio floret integram, annuamque aliquadiem ad pascitur, foliatus totus ramosusque. Caules & rami teretes, seniores sunt scabri, juniores tomentosi. Stipulæ cordatæ ovatæ. Folia subrotunda, obtusissima, crenata, mucana, margine subtriloba, tomentosa, petiolis insidentibus longioribus. Pedunculi unifori plures ex eadem folii ala simul prodeunt, quidam tamen etiam solitari. Calyx exterior est etiam in flore duplo brevior interiori. Corolla crenata purpurascit cum striis saturatioribus. Antheræ flavent. Semina nigra in aridis continentur glabris. Calyx uterque eodem novo vitur tomento, quo folia & caulis. Hoc consistit in pilis numerosis apice stellatis, atque paucioribus apice clavatis, in sole micantibus, ad oculum nudum tomenti sub forma pulverulenti sese exhibentibus, digito fricante facile abscedentibus pluribus. In tabula ad plantæ latus cernuntur hi pili in folia particula microscopio adducta. Adstant insuper calyx fructiger, fructus, aridus cum semine, semenque ipsum.

TA-

TABULA SEPTUAGESIMA QUINTA.

AMOMUM ZINGIBER. *Linn. syst. pag. 50.*
Zingiber. *Brown. jam. 119. Sloan. hist. jam. 1. p. 163.*
Zingiber majus. *Rumpf. amb. 5. p. 156. t. 66. f. 1.*
Inchi. *Rheed. mal. 11. p. 21. t. 12.*

Hæc planta sponte crescit in India Orientali. Sylvestrem in America non vidi, sed cultam passim. Tota glabra est, & odorem poscit saporemque proprium, satis cognitum, in sola tamen radice utrumque præcelentem, un le etiam hæc sola trahitur in usum. Radix compressa, sub terra se extendens sinuosque, mera est propaginum connatarum congeries, quæ ex figura, quam adunca sæpe habet, Americanis Anglis Hand, Gallis Patte, sive palma aut pes vocari solet. Hæ propagines, sive radicis partes, a detritarum vaginarum, ut nam caulem vestientium, relictis vestigiis annularibus sunt inæquales. Superiores, imprimis juniores, subrotundæ sunt, atque ad debitam pervectæ volumen, ex apice aut fine floribus caulem foliosum, aut scapum florigerum apicillum producunt. Externe cinereæ sunt coloris, juniores magis albent, atque etiam arte non raro sinuat purpurascunt. Hæ teneram carnem habent cumque modico virore patientem: illæ magis fibrosum, quæ radicibus argentur teretibus, albidis, longisque. Scapus circiter pedalis, rectus, teres, totus (vel et in caulis pars inferior,) vaginis arctissime ambientibus, nudis vero foliis, vestitur; abique in spicam subovatam & obtusam, ex bracteis subrotundis arcte imbricatis, unicum in sinu florem continentibus singulas compositam. Spatha membranacea *a*, subrotunda, ferme excolor, receptaculo imposita, circumvoluta includit totum floris tubum, ut videre est ex *b*. Hac spatha demptâ, prodit in conspectum germen obsolete triquetrum, compressum, parvum, inferum, spatha coronatum propriâ *c*, priori simili, at minore, coroliæ tubum involvente, ut ex figura *d* elucet. In qua præterea conspicitur corolla monopetala, tubulosa, sordide flavescens, cum ambitu tripartito laciniis acutis revoluta, superiore ampio latiore. Ante inferiores duas lacinias in petali fauce inseritur nectarium *e*, tanquam coroliæ bilabiatæ interioris labium inferius trifidum purpureumque cum maculis adspersis flavescentibus; cujus lacinia intermedia subrotunda patet, lateralis oblongæ in flore erigunturque, & filamento, *f* antice, *g* lateraliter conspecto, accumbunt. Hoc (nisi quis malit nectarii labium superius vocare, ut tunc verum filamentum adesset nullum,) unicum oritur e regione nectarii ex dorso faucis coroliæ, & antice concavum, postice convexum, ex figura subovata in apicem falcatum angustatur. Antheras duas, laxta invicem positas, oblongas, albidas, adnatasque locat in sinu suo; quas inter, ad extremitatem usque filamenti pertingens, transit & occultatur stylus filiformis, ex germine ortus inter duo corpuscula subulata brevia filamentiformia *h*. Stigma est obtusum & villosum. Fructus trilocularis multisque fœtus seminibus apud nos ad maturitatem nedum pervenit. Caules foliosi evadunt scapus duplo vel triplo longiores. Ita quandoquidem in ipsius plantæ figura integra non potuerunt exhiberi, ad latus sistitur eorundem aliquis volumine multoties immutato, *i*. Folia ensiformia, plana, acuminata & integerrima per petiolos brevissimos paulo infra extremitatem vaginis inseruntur. Junior recens crudaque radix in Martinica in menses appetitur, parvaque ejusdem portio solet cum butyro elixa comedi. Est etiam tunc insigniter acris, sed aroma longe gratius possidet, quam exsiccata. Saccharo quoque junior conditur, effossa circiter quadrimestris aut paulo adultior, cortice exteriore antea orbata, coctaque & macerata aliquamdiu in aqua, ut nimia acrimonia tollatur; præbetque sic condimentum gratum, stomacho perquam utile, acre tamen ima semper. In horti nostri calidario culta floret quotannis Novembri. In Americæ torridæ plerisque locis fructus radicis terræ maturantur Martio aut Aprili. Floret tunc planta circa Septembrem. Decembri incipiunt caules marcescere. Et Januario mense radices solent de terra erui in usum, adeoque tunc

 fer-

ferme annuæ. Si diutius in terra relinquerentur, seniores evaderent nimis fibrosæ subligneæque. Effossæ separantur ab invicem in frusta minora; a terra, radicibus teretibus caulibusque reliquis cultri ope purgantur, soli per paucos dies exponuntur siccandæ, atque hic sub Zingiberis albi titulo venduntur. Longe autem facilius citiusque a memoratis sordibus adhærentibus liberantur, dum, collectæ in corbibus, per horæ quadrantem in aquam sic ebullientem immittuntur, atque postea exsiccantur; sed ita de aromate pars aliqua perit; quare etiam ignobiliores censentur, sub Zingiberis nigri nomine venales.

TABULA SEPTUAGESIMA SEXTA.

GLYCINE STRIATA

Planta volubilis & perennis in horti cultario germinavit anno 1770 e semine ex America torrida a me allato. Regionis nomen adnotare neglexi. Ejusdem anni mense Novembri jam florere incipiebat, dum hyeme supervenente & folia & flores decidit. Caules ramique primarii, lignosi facti, insequente vere, numerosos ramos produxere volubiles, teretes, hirsutos longosque. Floruit tunc Majo & Junio, copiosius autem de [illegible] Novembri, ut bis intra annum florere videatur. Folia sunt ternata. Foliola ovata, obtusa cum setula terminante, integerrima, pilis brevissimis densisque obsita, & nunc modica ciliata dorsoque subtus cana; sed qui ob brevitatem vix exhiberi potuerunt in figura. Lateralium lobus interior paulo angustior est exteriori. Petioli hirsuti, teretes, nec sulcati aut angulati. Stipulæ omnes lineares & acuminatæ. Racemus solitarius & hirsutus una fere cum novorum folio de axi folia prodit. Illi flores sustinet a sex ad triginta, geminatim vel ternatim ad brevissima intervalla, pedicellorum propriorum ope, insertos. Calyx est pilosus, petalis ad unam tertiam partem brevior, tubo campanulato brevissimo; limbo quadrifido, laciniis lanceolatis & acuminatis, infima paulo longiore, suprema latiore nec emarginata. Corollæ vexillum est obverse cordatum, patentissimum, striatum, purpureum, basi ante unguem virescens, calyce destructum. Alæ oblongæ, obtusæ, erectæ, carina angustiores & breviores, purpureæ. Carina ferme excolor, carinata, longitudine vexilli, dorso ad summitatem fere usque bifida, antice ad apicem emarginata. Filamenta diadelpha ex simplice distinctissimo, & ex novemfido, intra carinæ. Antheræ oblongæ, incumbentes. Germen pilosum, lineare, compressum. Stylus longitudine stiliique staminum apice attenuatur in stigma obtusum, fuscum, simplicissimum, nec barbatum. In paucis floribus germen, stylo omni stigmateque carens, in apicem desinit obtusum; atque hisce floribus caducis nullus fructus succedit. Alios legumen sequitur compressum, acuminatum, fuscum, valde pilosum, unam alteramve unciam longum, nunc rectum, nunc parum incurvatum. Semina pluria, reniformia, nitida, ex fusco variegata. Plantæ hujus synonymon non reperio.

TABULA SEPTUAGESIMA SEPTIMA.

ASPHODELUS LUTEUS. *Linn. syst. pag.* 244. *Dod. pempt.* 2 *l.* 2. *c.* 10. *Bauh. hist.* 2 *p.* 632.

Asphodelus luteus & flore & radice. *Bauh. pin.* 110.

Asphodelus, folio fistuloso striato, non ramosus, luteus & flore & radice. *Moris. hist.* 2. *p.* 331. *s.* 4. *t.* 1. *f.* 6.

Radix constat pluribus tuberibus teretibus, digitum minimum vix crassis, quatuor vel quinque uncias longis, carnosis, insipidis, flavescentibus. Hæc proximis a fatione annis sola folia radicalia producit, in hybernaculis etiam hyeme perennantia. Tandem caulem

lem emittit unicum simplicissimum, basi ferme digitum crassum, bipedalem, erectum, fere ad flores usque foliosum, nudumque, ita tectum a foliorum imbricatorum vaginis, ut nullus, præterquam intra ipsos flores, prodeat in conspectum. Subsequo anno plures caules adsunt. Folia fabulata, triquetra, acuminata, striata, glabra, fungoso-carnosa, nec fistulosa, ex glauco virentia, superiora sensim breviora, patentia quidem, sed, basi planari utrinque in membranam albicantem attenuata, caulem obliqua caliculque ratione amplexantia, ut hinc spatalis ille videatur. Caulis extremam partem bracteæ vestiunt membranaceæ, tenues, suspellucidæ albidæque. Ex harum axillis pedunculi unflori egrediuntur. Flores lute. suave olent. Corolla in his tam est profunde divisa, ut ægre monopetala dicimerentur: quod etiam in Asphodelo fistuloso verum invenit. Inferne quidem in tubum campanulatum brevissimum petala, cæteram patentissima, connivent, sed tamen etiam hic sunt divisa ad usque ferme pedunculum. Petala alterna, quæ in flore adhuc dum clauso exteriora fuerant, sunt duplo reliquis angustiora. Ex his intimum magis distat a proximis lateralibus, quam distant reliqua ad invicem. Nectaria squamæ nihil aliud sunt quam tenuis tortula bases dilatatæ, petalis affixæ, simulque connivendo germen occultantes. In germinis superioribus & sexsulcati tribus sulcis alternis profundioribus paulo supra mediam altitudinem conspicitur porus, ex quo dulcis liquor exsudat, qui tandem totum spatium squamis inter germenque replet. Hic in fructu porus maculam oblongam atroviridem efficit, tunc demum evanescentem, dum maturus exiccatur. In Asphodelo fistuloso loco poros reperio situs in germinis summitate, ubi concidant sulci minus profundi. Pistilla omnia declinantur, arcumque denso adscendendo efformant. Horum alterna tria duplo reliquis longiora instruuntur antheris multo etiam majoribus. Capsula trilocularis & [illegible], in tres valvulas integre dehiscit, dissepimento medio instructas, utrinque in fundo semen unicum continentes argute triquetrum, ut itaque in quolibet loculamento sint semina duo, nec amplius nunc carnosa. Florent Majo & Junio. Augusto semina perficit.

TABULA SEPTUAGESIMA OCTAVA.

SALVIA INDICA. *Lam. fist pag.* 66.

Salvia foliis caulinis cordatis, acute crenatis, summis sessilibus, florum verticillis subnudis, remotiusculis. *Roy prodr. pag.* 309.

Sclarea indica, flore variegato. *Tourn. inst* 179

Radix perennis, in hybernaculo contra solum gelu defensa, sæpe totam hyemem folia radicalia producit, caules Martio emittit, floribus elegantibus Majo decorandos. Planta aspectum sub dio agit. Caules sunt tetragoni, rarius pentagoni, recti, densi, tripedales, tomentosi quidem hirsuti, sed inferne atque ad foliorum inferiorum imprimis exortum densa albidaque lanugine obducti. Folia radicalia & caulina inferiora sunt petiolata, superiora amplexicaulia, omnia oblongo-cordata, hirsuta, rugosa, inæqualiter & sinuose dentata, acuta. Flores caduci breviterque pedunculati in quolibet axilla foli floralis sive bracteæ terni habentur, locanturque per verticillos remotos ad varias distantias in variis individuis, interdum triplo longiores, quam tabula exprimit. Calyx hirsutus, glutinosus & compresso-campanulatus terminatur limbo utrinque bifido acutoque. Corollæ magnæ galea est cærulescens, in apice pro stylo cæruleo incumbente fissa, leviterque pilosa. Labium inferioris laciniæ laterales, & laciniæ intermediæ cucullaformis pars media sunt violaceæ. Hujus laciniæ fundus exterior albet simpliciter, interior una cum inspersis maculis purpureis, limbus utrinque ex fusco fulvus est. Antheræ fuscæ pollen luteum continent. Germina insident corpori glanduloso coloris aurantii. Odor plantæ est fortis & ingratus.

TABULA SEPTUAGESIMA NONA.

SISYMBRIUM POLYCERATIUM. *Linn. syst. pag.* 440.

Erysimum polyceratum vel corniculatum. *Bauh. pin.* 101. *Morit. hist.* 2. *pag.* 218. *s.* 3. *t.* 3. *f.* 2.

Erysimum alterum Mathioli; siliquis parvis, quibusdam Dentaria. *Bauh. hist.* 2. *pag.* 864.

Planta annua, palmaris vel pedalis, tota nitida. Caulis ramique teretes. Folia inferiora sunt pinnatifida, superiora repando-dentata. Flores parvi aggregatim insident alis foliorum pauci, corollis luteis. Siliquæ teretes, pleræque incurvatæ, glabræ, semipollicares vel pollicares. Folia saporem ferme eundem habent ac Cochlearia officinalis. Floret æstate.

TABULA OCTOGESIMA.

MIMOSA VIRGATA. *Linn. syst. pag.* 677. *hort. Cliff.* 209. *flor. zeyl.* 505.

Hanc frutecem in India crescere, dicit illustris Linnæus. Crescit non minus in America [illegible] varis locis; frutex ibidem debilis ramis virgatis adscendentibus inter vicina se sustentans. Inde semina attuli, quæ in caldario terræ data plantam produxere depictam, jam primo ætatis anno florentem. Rami seniores sunt obsolete angulati, ex cinereo fusci & nigrosi. Juniores virides, vere angulati, pilisque paucis brevissimis & vix oculo nudo conspicuis scabriusculi. Folia sunt bipinnata; infima ramorum ex pari unico, subsequa ex duobus, summa ex quatuor, reliqua ex paribus tribus: quæ frequentior divisio non tamen in perpetuum obtinet. Glandula ex flavo patens, depressa simulque concava locatur in petiolo communi infra ipsum exortum petiolorum primi paris. Foliola numero incerto a sex ad quindecim in qualibet costa particulari sunt oblonga, obtusa, glabra, brevi acumine donata aut eodem destituta, lobo interiore angustato, ut petiolus brevissimus veluti ipsi foliolo lateri inseri videatur. Juniora lente conspecta calis ornantur. Stipulæ sunt setaceæ. Flores pauci, circiter sex vel octo, aggregatim inque capiculum collecti insident extremitati pedunculi axillaris aut solitarii aut geminati. Flos unus alterve exterior gaudet charactere sequenti. Perianthium campanulatum & subquinquangulare in limbum terminatur acutum, quinquefidum erectumque. Corolla constat petalis quinque, albidis, ovalibus, utrinque acutis, calycem ad duplum superantibus. Filamenta decem filiformia ter corollam longitudine excedunt. Antheris donantur nullis; pistillique omnimode carent; unde nec fructum ferunt. Reliquis floribus calyx est infundibuliformis, & præcedentium calyce duplo longior, cæterum similis. Corolla etiam eadem, sed pariter longior, & hinc duplo dumtaxat filamentis brevior. In his antheræ adsunt flavæ & incumbentes. Sed in hisce etiam floribus duplex discrimen invenio. Nam in alis stylus insistit germini lineari, petalis fere brevior, & stigmate præditus infundibuliformi. In alis longitudine filamenta stylus æquat, stigmate instructus simplice & obtuso. Utrum uterque flos fertilis sit, non potui discernere. Semina nitida, fusca, inæqualiter subrotunda gibbosaque continentur in legumine lineari, compresso, ad semina utcunque torosso, fusco, acuto, nitidoque. Lente aucti repræsentantur in tabula flores primæ tertiæque speciei semen in volumine naturali.

TA-

TABULA OCTOGESIMA PRIMA.

SEMPERVIVUM SEDIFORME.

Tota planta glaberrima est. Caules teretes, diffusi, ramosi prostratique terræ radiculas immittunt. Rami florentes erigunturque, circiter octo dodrantes. Oportune fere hyemem sub dio, & tunc floret quotannis Junio. Culæ vero in olla plantæ, perque hyemem hybernaculo inclusæ, rami florales sunt sæpe bipedales, at tunc debiles, &, nisi fuceris diligentur, sese sustentando haud apti. Folia glauca, interdum rubentia, carnosa, crassa, acuminata, oblonga, basibus in dorso soluta, inferiora magis teretia, superiora magis depressa, in ramis junioribus confertim nascentia, in florentibus magis distincta. Cymæ densæ & terminales. Floris character omnino, qualis deferitur in Sempervivo Linnæi, petalis aut sex aut septem albidis. Cui numero calyx, germina, eidemque geminato stamina respondent. Nectarii squamulæ adsunt nullæ. Filamenta petalis concoloria basin habent latam. Antheræ flavent. Flos itaque Sempervivi; facies foliorum Sedis congrua. Patriam ignoro.

TABULA OCTOGESIMA SECUNDA.

ANTIRRHINUM CIRRHOSUM *Linn. mant. alt. pag. 249.*

Æque illa, quæ in caldario, quam quæ cauta fuerat sub dio, altera consimilis alteri, ex radice annua fibrosaque caules habuit initio quidem erectos, (qualis unicaulis, uti in tenella ætate esse planta solet, in icone ostitur,) sed semper simul debiles tenues & vix se sustinere suos apicos, brevique versus terram inclinatos. Tunc planta evadit omnium ramosissima valdeque diffusa, foliis floribusque fructibusque tota onusta. Ab Antirrhino Elatine, cui proxima, differt imprimis glabritie, dum sola folia infima subhirsuta sint, cauliumque in parte intima rari pili conspiciantur, cætera sint glaberrima. Pedunculi capillares, uniflori, solitarii, ferme unciales, purpurascentes & patenti sini ex foliorum fere omnium axillis strictæ egrediuntur, etiam post deciduos fructus persistentes. Flores exigui, dum lente examinantur, sunt levissime pilosi, uti ex auctioris floris figura apposita patet. Corollæ calycem ad triplum exsuperantis atque ex albo cæruleoque variæ tubus ventricosus albet cum percurrentibus striis purpureis. Labium superius cæruleum semibadumque erigitur · laciniis planis, obtusissimis. Labii inferioris semicirculi discus attollitur in duos gibbos albidos & ex atropurpureo punctatos; laciniæ vero sunt cæruleæ, subrotundæ obtusæque. Faux claditur. Nectarium cornutum albet cum punctis purpureis. Antheræ sunt atropurpureæ ac subrotundæ. Capsula rotunda dehiscendo utrinque deponit lamellam, seminaque intra includit in quolibet loculamento circiter quinq. Floret totam æstatem. Ægyptus plantæ patria est. Nisi Tournefortius suam plantam simpliciter diceret villosam, floresque luteos, cum nostra conveniret illa, quam in Horti Pisani tabula 38 repræsentavit.

TABULA OCTOGESIMA TERTIA.

ANTHERICUM LILIAGO *Linn. fp. pl. pag.* 444

Phalangium parvo flore, non ramosum. *Barb. prod.* 25. *Mor. s. hist.* 2. *p.* 333. *s.* 4. *t.* 1. *f.* 10.

Phalangium non ramosum. *Lob. ic.* 48.

Phalangium montanum. *Clus. cur. post pag.* 30.

Planta tota glabra atque mollis, [illegible] crescit. Junio mense floret. Augusto semina perficit. Ætate evadit cespitosa. Radix constat paucis fibris teretibus, crassis, albidis, longis, & ipsis fibrillas paucas minutas emittentibus. Folia radicalia semper [illegible] & sesquipedalia, ensiformi-linearia, acuta, carinata; nec plana, ut affert Linnæus de hoc [illegible]. Caulinum unum alterumve brevius adest supra caulis medietatem. Caules plures ex eodem radicis capite exsurgunt; singuli foliis suis radicalibus circumdati, usque [illegible] longiores, teretes, erecti, firmi, aut simplicissimi, aut unico ramo adscendente [illegible], tandem terminantur in racemum rarum. Pedunculi uniflori adnati, [illegible] de racemo [illegible]. In his locus ille, qui planta florescente mutatam exhibet virorem, eidem fructescente in circulum tumentem attollitur. Ab inferioribus incipiendo succedit flos unus alterve expanditur. Huic sunt petala utrinque alba, extrema fere dimidio latiora, [illegible] nulla vero petiolata, nulla duorum ordinum, nec extus virente linea [illegible], quæ quidem omnia plantæ suæ sub numero 1207 tabulæ accidunt Halleri. Filamenta glaberrima, obverse subulata, vix compressa, corolla duplo breviora, gerunt anthe[illegible] & utrinque sulcatas. Stylus staminibus longior declinatur. Capsula ovata [illegible] trigona, acuminata, glabra, trilocularis & trivalvis diversa est a fructu plantæ [illegible]. Quum itaque mea hæc & laudati utriusque autoris plantæ tantopere ab invicem discrepent, non ausim super proposita synonymia cum certitudine pronuntiare.

TABULA OCTOGESIMA QUARTA.

ALETRIS GUINEENSIS. *Linn. fp. pl. pag.* 456

Aloë guineensis, radice geniculata, foliis e viridi & nitro undulatim variegatis. *Comm. hort.* 2. *p.* 39. *t.* 21. *prodrom.* 84. *t.* 33.

Inspectis ad Enumerationem stirpium ac [illegible] Guineensis dedi floresc[illegible] [illegible] hac tempore ac [illegible] dum memoratis floribus [illegible] passi fuerant omnes. Hinc ex [illegible] trilocularem [illegible] quæ plurimos fructum conjecceram futurum, prop[illegible] fuerunque dubitanter. Nunc tandem primos fructus, eosque maturissimos vidi non paucos; ex quorum cognata anatome patere, arbitror, in generum fabricatione nec posse hanc plantam ad Aletrim, nec ad Aloën, nec ad aliud jam datum genus apte referri. Scilicet fructus est bacca trilocularis, succulenta, succulenta, lutea cum pulpa concolore, magnitudine pisi, comprehensa a fisso longitudinaliter corollæ emarcidæ tubo. Semen unicum, mole, depressum glabrumque includitur in arillo membranaceo coniformis figuræ, qui baccæ tunicæ cortici baccæ adnascitur. Hæ partes magnitudine naturali in tabula seorsim exhibentur.

TA-

TABULA OCTOGESIMA QUINTA.

CORCHORUS ÆSTUANS. *Linn. syst. pag.* 369.

Ar[illegible] ta subvillosa, foliis rotundioribus, undulatis atque dentatis; dentibus post[illegible] in fetas [illegible] ra es acuminibus, floribus alaribus. *Brown. hist. jam.* 1. *pag.* 232. *t.* 25. *f.* 1.

Radix annua caulem profert sesquipedalem, jam statim divisum in ramos primarios basi procumbentes, ramisque in decursu ornatos plurimis alis inordinate alternantibus. Ramuli extremi pleriqueque divergunt. Ex fusco rubent maximam partem caulis ramique, & pilis [illegible] obsidentur. Folia sunt ovata, interdum magis subrotunda, serrata, facie glabra, [illegible] corsi[illegible]ous petioloque hirsutis, serratura utraque minima in foliis majoribus setacea. S[illegible]ilia sunt setacea. Pedunculi breves, uniflori aut pauciflori, ad petiolorum latera ex[illegible]atur aut solitarii aut aggregati. Calycis foliola concava, ad apicem suorum sanguinea, p[illegible]ina. Petala flava, obovata, & integerrima aut emarginata patent. Stamina plura quam triginta erectaque flavent cum antheris luteis. Capsula oblonga, fusca, glabra, [illegible]s, sexsulcata cum angulis membranaceis acutis, apice tricuspidato patente cum singulis cuspidibus bifidis, trilocularis, trivalvis. Semina plurima, angulata, nigra. Floret [illegible] mio a Julio ad Novembrem. Primæ capsulæ Septembri maturescunt. Plukenetiana [illegible] est, quo minus [illegible] eandem credere plantam possim cum Alcea cisoaria [illegible] tabula 127. *fig.* 3 exhibita.

TABULA OCTOGESIMA SEXTA.

LATHYRUS INCONSPICUUS. *Linn. syst. pag.* 486. *Gm. p. pag.* 1030.
Lathyrus orientalis, flore vix conspicuo. *Boerh. lugd.* 2. *p.* 42.

Radix fibrosa & annua caules plures emittit debiles, angulatos, pedales vel sesquipedales, &, ut tota planta, glabros. Cirri omnes sunt diphylli. Foliola aut ensiformia, aut ex angusto lanceolata, acuminata, tabulis tribus vel quinque nervis notantur. S[illegible] utrique lanceolatæ, acuminatæ & integerrimæ petiolos longitudine fere æquant; [illegible] minimo multo breviori, in medio antice denticulo minuto. Pedunculi axillares, solitarii, uniflori, in aliis in lineatis ipso calyce breviores, in aliis eodem duplo vel triplo [illegible]iores, terminantur seta diverse quoque longitudinis. Flores parvi, vexillo alisque fa[illegible]e rubris, carina pallida. Legumen lineare, venosum, acuminatum vixque compres[illegible]n semina continet octo vel pauciora fusca & angulato-subrotunda. Sub dio floret Junio. Semina sunt matura Augusto.

TABULA OCTOGESIMA SEPTIMA.

HASSELQUISTIA ÆGYPTIACA. *Linn. syst. pag.* 209. *amœn. acad.* 4. *pag.* 270.

Ara[illegible]nam habet patriam Gagalus hæc uni et altera [illegible]. Annua, sesquipedalis & erecta emittit radici albidæ, quiddam de Dauci sapore manifestanti. Caulis ramosus foliosus ac teres obtegitur, idque imprimis ad foliorum exortum, villo albo molliqueque. Fo-

ha inferiora sunt pinnata; superiora subbipinnata & tenuiora. Costa hirsuta & teres antice sulco exaratur. Foliola inæqualiter incisa, obtusa, utrinque glabra, nisi quod nervi in dorso majores sæpe pubescant, ad tactum molia, pallide virent. Rami ultimi florigeri & radii sunt striati & scabri. Ex umbellæ universalis cujuslibet centro egreditur radius rectus brevisque, terminatus apice in pulvinum orbicularem, subtus virentem, facie nigrum villosque albis brevissimis vestitum. Hoc destituuntur umbellæ partiales. Floret mense Junio, sata sub dio, porrigitque fructus Augusto. Quandoquidem datus a Linnæo character, desumptus ex planta sicca, non respondeat individuis, quas plurimas aluit hortus noster, illum hic subjungam ad dictas vivas concinnatum. *CAL.* Umbella universalis multiplex, inæqualis. Partialis multiplex, plana, densior, brevis. Involucrum universale circiter hexaphyllum: foliolis setaceis brevibusque; quorum, aut omnium, aut pauciorum loco, interdum dumtaxat adsunt brevissimi denticuli, ut, nullum aut minus multiplex adesse involucrum, merito dici posset. Partiale demum tantum: foliolis tribus setaceis, extrorsum versis, & fere longitudine umbellulæ. Perianthium proprium pentaphyllum, patentissimum: foliolis semovatis, acutis; in floscul is exterioribus extimo lanceolato duplo que longiori. *COR.* universalis difformis, radiata. Floscuti exteriores hermaphroditi sterilis. Floscuti centrales masculi & abortivi. Propria petalis quinque, albis, fere ad basin usque bipartitis, hinc obverse cordatis, lateribus ad dorsum conniventibus, disci subæqualibus, radiatum extimo petalo maximo. *STAM.* Filamenta quinque, capillaria, patentia, petalis brevioribus longiora. Antheræ subrotundæ, basi didymæ. *PIST.* in floribus centralibus nullum. In floribus exterioribus germen obverse ovatum, compressum, subinflatum. Styli duo, filiformes, patuli, longitudine staminum. Stigmata subcapitata, obtusa. *PER.* nullum. Fructus glaber, duplicis figuræ. Alter suborbicularis, compresso-planus, margine crenulatus, constat seminibus binis planis, cum margine exteriore elevato crenato. Aut alterutrum abortat semen, & tunc constat fructus semine unico, longitudinaliter hemisphærico, concavo, & in latere interiore aperto; nam semen hoc tunc margine contracto in sinum ethingitur. Radii umbellarum perfecta fecundatione erigunturque, incurvantur, torquentque flores introrsum. Tabula repræsentat plantam juvenem primo florentem. Ad latus sunt in naturali magnitudine semina.

TABULA OCTOGESIMA OCTAVA.

SPIRÆA LOBATA

Anno 1769 sub titulo novæ Spiræ lobatæ radicem transmisit vir amicus Laurentius Theodorus Gronovius, urbis Lugduno-Batavæ Scabinus, quæ sub dio terræ commissa tertio demum anno florui, fructumque dedit. Radix odorata & sapore adstringenti proprioque prædita constat ex ramis subtuberosis, inæqualibus, podicem crassis, extus nigris, intus albidis, non admodum lignosis, auctis numerosis fibris teretibus longisque. Caules ex radice multicipite plures, erecti, teretes, sesquipedales. Folia radicalia & caulina sunt inodora & pinnata, foliolis oppositis, sessilibus aut brevissime petiolatis, patentibus; foliis lanceolatis, acutis vel obtusis, acute serratis, leviter incisis. Foliola quædam minuta sæpe petiola communis inferiorem partem occupant. Stipulæ subrotundæ aut ovatæ figuræ. Cymæ terminales compositæque patent. Florum odoratorum calyx profunde dividitur in laciniis ovatis, concavis, obtusissimis & reflexis. Petala rubra longitudine a filamentis concoloribus parum superantur. Antheræ fuscescunt. Germina sunt plerum-

rumque sena, oblonga, stylis instructa brevissimis. Fructus similis est Spirææ Filipendulæ. Tota planta glabra est. Floret Junio. Linnæus in literis Sibiriam plantæ patriam adignavit.

TABULA OCTOGESIMA NONA.

MEDICAGO PROSTRATA.

Medica maritima, saxatilis, minima, perennis, foliis angustioribus in apice incisis, fructu parvo, non spinoso. *Hill hort. pag.* 110?

Radix fabilignosa & multiceps perennat sub dio. Caules ramosi, angulati, glabri, bipedales, herbacei, ramuli, toti procumbant humi. Folia ternata sunt ex foliolis oblongis, angustis, glabris, apice plerumque denticulatis. Stipulæ setaceæ & integerrimæ. Pedunculi communes axillares subumbellatim flores sustinent numero diversos ab unico ad senos. Pedunculi proprii in fructu terram versus inflectuntur. Calyx est subpilosus. Vexillum leviter emarginatum. Filamenta diadelpha in sola fere basi dividuntur. Legumen glabrum, æquale & inerme tres gyros spirales absolvit. Floret integram æstatem. Semina maturantur Septembri. Sub titulo Medicæ cochleatæ glabræ semina ex Italia accepi. Visa est mihi distincta species, quæ ad polymorphas Linnæanas, totidem forte etiam inter se diversissimas species, ob radicem perennantem imprimis reduci non potest.

TABULA NONAGESIMA.

DOLICHOS LUTEOLUS.

Semina hujus plantæ mihi ex Americes zona torrida attulit, idemque plantam deferibere neglexit. Provinciæ etiam non annotatæ nomen excidit. Ex paucis diverso a reliqua tempore terræ commissis semine hos tandem hoc anno 1771 unicum in cadario germinavit, produxitque stirpem herbaceam omnium lentissime vegetantem, quæ floruit copiose ab Augusto ad usque Decembrem, tunceque perit. Primi flores legumen glabrum, teres obtusumque cederunt; at nullum ex hisce leguminibus ad maturitatem perveniemque pervenit. Donec unguiculati fructus videbantur similia futura. Caulis, angulatus ramique ferme teretes scandebant volubiles, ad etiam rami tres quatuor vel quinque longi terræ incumbebant elongati. Stipulas habuit lanceolatas & acuminatas. Petiolo proprio tetrato folia & antice cordiformia folia fuerunt ovata omnia, nitida, integerrima & acuminata, lateraliter utroque loco æquali. Petioli proprii teretes folia erectam plantæ pars villosa. Foliolorum stipulæ erant parvæ & fibro-membranaceæ. Pedunculi axillares teretes, quique flores laebant a fixo ad decem, [illegible] succedentes, collectos in racemum capitatum compressumque. Calyx semiquadrifidus virebat pallide, denticulis acuminatis, ex tribus lanceolatis constante labio inferiori; superiori autem integerrimo & semiovato. Vexillum facie elegantem luteum, dorso flavescens, levissime emarginatum, Dolichi callis instruebatur manifestis; ungue prædatum albo & brevi. Alæ luteæ. Carina cum aliqua flavedine dilute virebat. Filamenta diadelpha, superne omnia ad medietatem dividebantur, antheris donata luteis. Stigma vade barbatum. Semina sunt ex oblongo rotundata & nigricantia cum lino albido.

TABULA NONAGESIMA PRIMA.

DIGITALIS OBSCURA. *Linn. syst. pag.* 415.
Digitalis hispanica angustifolia, flore nigricante. *Tourn. inst.* 166.
Digitalis angustifolia hispanica. *Bocc. mus.* 2. *p.* 136. *t.* 98.

Caulis pedalis vel bipedalis, inferne lignosus & fruticosus, parum ramosus, debilisque perennat. Junioremque ramosque totos folia ornant ex lanceolato linearia, acuminata, glabra, integerrima, confertim alternantia, sessilia sic ut supra caule videantur basibus adnatis decurrere. Racemus terminalis flores eodem versus propendentes gerit. Bracteæ sunt lanceolatæ & acuminatæ. Pedunculi breves emittuntur. Calycis foliola sunt lato-lanceolata, acuta, superne patentissima, duo lateralia angustiora. Corolla extra calycem valde incurvatur deorsum, extus ferruginei purpurascentis coloris, subtus simul sordide flavescens. Interne flavet cum suffusio colore ferrugineo; fundo atropurpureo. Faux pilosa. Laciniæ obtusæ: labio superiore multum emarginato; inferiore ovato longiore; reliquis longitudine æquantibus. Antheræ pallide sulphureæ. Capsula ovata paulatim angustatur in acumen longum bifidum, tandem hinc atque illinc inflexum. Semina pleraque sunt incurva. Augusto mense matura. Floret Junio & Julio. Hyemem agit in hybernaculo.

TABULA NONAGESIMA SECUNDA.

CENTAUREA CINERARIA. *Linn. spec. pl.* 18[illegible] *pag.* 1290.
Jacea cineraria laciniata, flore purpureo. *Tournef. obs.* 7[illegible]

Planta a fruticosa lignosa atque perennis ramis annuos ac herbaceos emittit plures, totos foliosos, superne angulatos, pauca lana incanos, debiles, sesquipedales. Folia pinnatifida, quædam etiam subbipinnatifida, petiolata, laciniis inæqualibus, perisque ovatis, parum tomentosis; aut subincanis, aut pallide virentibus; interdum duplo majoribus, quam in icone quæ exhibetur. Flores ramuscolos terminant solitarii, non foliosi, sed ab ultimo folio semper remoti. Corollæ sunt quinquefidæ, radiales quædam quadrifidæ, etiam trifidæ, purpureæ. Antheræ eiusdem coloris. Styli flavent. Calyces ciliati sunt fusci. Discrimen reperio hanc inter primamque plantam, cujus esse varietas a Linnæo putatur. In depicta calyx valde tomentosus est, qui vix est talis in planta prima. At vicissim contrarium obtinet in utriusque foliis ramisque, quæ multo tomento incano obducuntur in priore, paucissimo in nostra. Folia etiam pluries tenuissime divisa sunt in primo. In eadem ultimum folium unum alterumve ipsi calyci etiam est contiguum, ut dici sessilis queat, contra morem depictæ. Sic mihi quidem videtur distincta species. Floret æstate. In hybernaculo hybernat.

TABULA NONAGESIMA TERTIA.

ONONIS HIRCINA.
Ononis major prima purpureo flore. *Clus. hist.* 99.
Ononis montana, præcox, purpurea, fruticosa. *Tourn. inst.* 408.
Ononis non spinosa, flore hircoide carneo, polonica. *Barr.* 830. *n.* 1214.

Tota planta, ut Clusii verbis utar, lento quodam hircino odore gravatur & mucronata varias odore obsita est. Multos annuatim ex radice dura, lignosa & perenni fert cubitales, nonnunquam longiores surculos, rotundos, lentos, flexos tamen, ramosos, molli lanugi-

[illegible]ne obdurectos, hyeme totos interituros. Ex seminibus sata primo jam ætatis anno floret. C[illegible]les procumbunt inferne; hinc adscendunt, atque erigantur. Folia facie ferme glabra, subtus pilis obsidentur, caulina pleraque ternata, floralia & ramea quædam simplicia: foliolis ovatis & acute serratis. Stipulæ serratæ & amplexicaules longitudine folia ferme æquant. Flores breviter pedunculati axillis semper gemini insident, formanteque tandem velati spicam, in caulibus ipsis tripollicarem, in ramis breviorem. Calyx villosus duplo brevior corolla est. Vexillum ex purpureo eleganter rubet, dorsoque villos habet vix conspicuos. Carina longitudine alarum albentium atque obtusarum vexillo est concolor. Antheræ sunt luteæ. Legumen fuscum & subvillosum basi laterali receptaculo affigitur. Hoc cum addito semine etiam in tabula sistitur. Nunquam in hac planta spinas observavi, non magis in sylvestri quam in culta. Omnino diversam habeo ab Ononide Linnæi arvensi, cum mari, tum spinosa nec ad aliam pertinere synonyma allata arbitror plantam quam ad nostram. Floret Junio & Julio. In comitatu Hungariæ Liptoviensi ac Scepusiensi frequens nascitur. In Brisgovia etiam montibus apricis invenit clarissimus Lipp.

TABULA NONAGESIMA QUARTA.

TEUCRIUM MASSILIENSE. *Linn. syst. pag.* 388. *sp. pl. p.* 789.
Teucrium cretaceum. *Clus. hist.* 348.
Teucrium fruticosum incanum, cretaceum, flore purpureo. *Barr.* 318. *ic.* 896.
Chamædrys fruticosa cretica, purpureo flore. *Tourn. inst.* 205.

Radix fibrosa lignosaque, hyemem in hypernaculis apud nos agens, perennat, uti etiam [illegible] si sæpe caules ramique. Hi sunt quadrangulares, inferne fragiles, suberecti, se[illegible]tes vel sesquipedales tomento vix conspicuo incani, quale etiam folia bracteas calyces[illegible] Folia sunt petiolata, ovata, obtusa aut acuta, inæqualiter serrata, per [illegible] as valde rugosa, pollicaria aut breviora, oræ denticulis extremis sæpius reflex[illegible] Rarius racemos terminantur erectos, in quibus ex bracteis sive foliis oppositis, paulatim magnitudine decrescentibus, supe[illegible]ribus lanceolatis & integerrimis, flores pedunculati singulares egrediuntur, in unum idemque latus versi omnes, & ad angulum rectum patentes. Calyx est bilabiatus. Labium superius planum, cordatum acuminatumque patet. Erigitur inferius quadridentatum concavumque. Corollæ purpureæ labium inferius est concavum & subtus arfuscum. Filamenta pallent. Antheræ sunt fuscæ. Stylus brevior filamentis purpurascit. Sub dio floret Junio & Julio. Tota planta fortem singularemque odorem spirat, cum alio mira cognato non comparandum.

TABULA NONAGESIMA QUINTA.

GLYCYRRHIZA ECHINATA. *Linn. syst. pag.* 490.
Glycyrrhiza capite echinato. *Bauh. pin.* 352.
Glycyrrhiza Dioscoridis. *Dod. pempt.* 3. *lib.* 1. *cap.* 16.
Glycyrrhiza echinata Dioscoridis. *Lob. ic.* 85.
Dulcis radix. *Cam. epit.* 423.

Tota planta glabra parumque ad tactum glutinosa est in horto nostro. Sata altero demum anno floruit, hyemat sub dio, lætaque vegetat. Ex radice primaria, tertio ætatis anno jam pollicem diametro æquante, primo vere caules exsurgunt plures, annui,

 ere-

erecti, bipedales, teretes striatique. Dum in fructibus maturandis planta est, ex plerorumque foliorum alis ramuli propelluntur breves, nec florentes. Folia sunt pinnata ex quinque ut plurimum foliolorum paribus cum impari: costa antice canaliculata: foliolis lanceolatis, acuminatis, omnibus, nec impari excepto, brevissime & æqualiter petiolatis. Stipulæ sunt lanceolatæ, acuminatæ & integræ. Pedunculi breves, crassi & firmi alis foliorum solitarii insident. Flores densissimum in capitulum sive in spicam subrotundam colliguntur, singuli propria bractea acuminato-lanceolata suffulti. In calyce labio superioris lacinia media sola posset forte melius dici ipsum labium superius integrum, ita ut pertinerent tres dentes reliqui ad labium inferius. Corollæ vexillum dilute cæruleum, saturatissime coloratum oleque. Reliqua sunt in flore secundum characterem Linnæanum. Legumen succedit parvum, ovatum, compressum, acuminatum, aculeis innocuis longisque undique munitum, glabrum, primo purpureorubens, maturum fuscescens. Continet semen unicum, reniforme, nitidum, compressumque. Julio flores, Septembri semina perficit. Radices hujus plantæ teretes, numerosæ, digitum minimum crassæ, pedales & longiores, terræ profunde immittuntur, nec, more Glycyrrhizæ glabræ officinalis nostræ, prope horizontaliter illas vidi, aut novam sic sobolem ad distantias proferre. Vestiuntur cortice tenui & dilute fusco, intus albicant, medullam in centro habent suligneam inque ligno separabilem, hinc tenacissimæ. Gaudent fere odore Glycyrrhizæ nostræ. Recentes masticatæ flavum corneo colore imbuunt, uti etiam aquam, in qua lavantur. Ipsæ quidem cortice abstracto, albent, sed mox in superficie aëri exposita inficiuntur rubedine, non constante, at in fuscum colorem brevi mutanda. Sapor quoddam commune habet cum officinali, illico in tamen illa summa gratiaque caret. Mihi quidem videtur omnino esse antiquorum ac Dioscoridis Glycyrrhiza.

TABULA NONAGESIMA SEXTA.

SCABIOSA PALÆSTINA. *Linn. syst. pag.* 114. *mant. pag.* 37.

Caulis teres unum alterumve pedem altus, ramosus, glaber aut parum pilosus. Folia sunt ex oblongo lanceolata, aut integerrima aut ad basin magis minusve pinnatifida, serrata aut integra, superiora magis pilosa atque [illegible] pilosi. Pedunculi teretes, [illegible] pilosi productique calycem communem sustinent uniflorum. Corollæ cum [illegible] rubore pallentes tubum habent infundibuliformem & externe villosum; in limbumque exeunt [illegible] exteriores radiatum quinquefidumque, cujus omnes laciniæ sunt trifidæ vel plures [illegible] incisæ. Antheræ sunt coloris roseri. Fructus est similis Scabiosæ stellatæ. Floret sub Augusto mense & insequentibus.

TABULA NONAGESIMA SEPTIMA.

SCIRPUS CEPHALOTES. *Linn. syst. pag.* 84.

Ex seminibus in caldario primo vere satis [illegible] planta florere cœpit Octobri. Radix teres, perennis, odore ac sapore aromatico prædita, stolonifera, fibrillas teretes ex geniculis terræ immittit, & culmum ex singulis fere nodis, unde valde cespitosa densaque planta evadit. Folia radicalia plura, basi culmum amplexantia, ex ensiformi linearia, acuminata, lateribus retrorsum parum scabra, dorso prominente angulata, læte virent. Culmus triquetter, nudus, erectus, semipedalis vel sesquipedalis terminatur involucri foliolis qua-

quatuor, longitudine admodum æqualibus, foliorum figura gaudentibus, quorum minimum ponitur ante longissimum. Tota planta glabra est. Receptaculum oblongum flores sessiles in capitulum album a foliarum & ex ovato subrotundum colligit; quibus singulis pro calyce inservunt squamæ oppositæ duæ albæ ac membranaceæ. Corollam facit glumæ bivalvis, infera, compressa, albida, acuminata, arcte connivens; valvula altera duplo latiore. Filamenta tria, capillaria, erecta, & corolla duplo longiora antheras gerunt lineares, erectas & ex sulphureo pallentes. Germen superum, ovale, glabrum compressamque alit in stylum filiformem, semibifidum stigmatibusque simplicibus donatum. Corolla rugosa tacta & fuscescens mendat semen unicum, nudum, compressum, fuscum, glabrum, parvum, ovatum cum acumine obtuso. Microtones aucta ad latus adstant depicta corolla cum staminibus, pistillum, semen corollæ mensum idemque nudum, tum iterum magnitudine naturali corolla maturum semen continens.

TABULA NONAGESIMA OCTAVA.

CELOSIA NODIFLORA. *Linn. syst.* 187. *flor. zeyl.* 101.

Amaranthoides indicum nodiflorum, capitulis ex albo virescentibus. *Burm. thes. zeyl. p.* 16. *t.* 5. *f.* 2.

Amaranthoides indicum globosum, ad caulium nodos floridum, foliis solitariis, furfuro apice barbatis. *Pluk. alm.* 27 *t.* 133 *f.* 2.

Ex radice fibrosa & annua exsurgit caulis sesquipedalis, teres, suberectus, flexuosus punctisque paucis albidis parum exasperatus. Rami alterni horizontaliter patent, infimi sæpe longitudinem caulis habent. Folia obverse lanceolata, glabra, acuta, subundulata, integra, ex glauco virent, basique in petiolum attenuantur. His opponuntur pedunculi communes solitarii, breves & crassi. Flores ex albo virentes & membranacei capitulum subrotundum componunt. Calycis trophylli foliola extus hirsutula in setam terminantur, unumque opponitur binis reliquis. Germen ovatum pericelio tunicatur. Stigma capitato bifidum antheræque purpurascunt. Capsula circumscissa & horizontaliter dehiscens in duas partes, ovata, styloque persistente instructa, unicum semen continet nitidum & ferrugineum. Floret ab Augusto ad Decembrem in caldario, seminaque prima perficit Octobri.

TABULA NONAGESIMA NONA.

PHASEOLUS MAX. *Linn. syst. pag.* 482?

Planta annua, sata primo vere in caldario, floret ab Augusto ad Octobrem, Septembri prima semina perficit. Sub dio non recte provenit. Non quidem volubilis, sed flexuosa & debilis erigitur. Truncus, rami, petioli & pedunculi sunt angulati & valde hirsuti. Folia sunt acuta, pilosa, & late ovata, ut intermediorum latitudo interdum æquet longitudinem. Lateralium lobus interior est triplo angustior exteriore. Stipulæ ad foliorum axillas sunt subovatæ & in acumen setaceum terminatæ. Ambarum ora pilis ciliata. Pedunculus communis in flore brevis, in fructu elongatur. Flores plures brevissime pedunculati in extremitate pedunculi communis locantur subcapitati. Bracteæ, calycis exterioris adinstar, singulis floribus geminæ, lanceolatæ, acuminatæ & obliquæ. Calyx ex purpureo viridique palet. Vexillum sordide flavescit. Alæ flavent magis. Carina spiraliter involuta inferne cum virore albet, superne simul purpurascit. Legumen teres, ad semina to-

 ru-

rulosum, hirsutum, acutumque nigricat, seminaque continet circiter decem, saturate fusca, subtereta, & bati apiceque plana. Rumphii Cadelium non videtur esse posse idem cum planta in hac tabula a me proposita. Si itaque non differt Cadelium illud a Phaseolo Max Linnæi, erit mea planta diversa a Linnæana, novaque. Semina ex India Orientali missa fuerant.

TABULA CENTESIMA.

PHASEOLUS BIPUNCTATUS.

Ex promontorio Bonæ Spei in Africa fuerant adlata semina, quæ in caldario horti nostri lata novam illa Phaseoli speciem produxerunt. Plantæ vel bis primo anno a mense Augusto ad Decembrim floruit, fructusque tulit maturos. Nunc altero primo vere ex caule ramisque numerosos novos ramulos foliosos lætissimeque vegetantes producit. Magnam tum affinitatem habet cum Phaseolo rufo, cui flore etiam convenit, nisi quod vexillum minus virescat. Caules, folia & racemi sunt hirsutula. Legumen levissime villosum nigra & volumine congruit cum Phaseolo mamœno, magis tamen turgidum propter seminum majorem crassitiem, quæ pauca includit alba, fucoriformia, & supra hilum utrinque puncto ferrugineo insignita. Foliola sunt ex ovato acuminata, lateralium lobo interiore duplo angustiore. Stipulæ, ad foliola & caules eædem, sunt exiguæ & subovatæ.

T. 1.

T. 3.

T. 4.

T. 5.



T. 6.



Tab. 7.



T. 9.




T. 10.

T. 12.





T. 27.





T. 20.

T. 21.



T. 26.


T. 27.







T. 32.




1
2

T. 35.

T. 36.





T. 38.

T. 39.



T. 41.


B.
C.
D.
A.
B.

T. 44.



T. 48.

T. 49.





Sanicula odorata.

T. 52.





T. 55.

T. 56.

Sida [illegible]



T. 60.



T. 69.

T. 70.

T. 71.






e
f
g
b
d
h
a
c
i





T. 86.

Ammi majus officinarum


T. 89.

T. 92.


a





Phaseolus bipunctatus